Franciſcus Valens *nu.* 3. Quorum ſententia probatur ex eo, nam ſi conſuetudo eſſet juri communi conformis, non aſſereret Innoc. III. Canonicos ſeniores coæquandos eſſe junioribus, aut veterem conſuetudinem retinendo, aut novum rationabile ſtatutum cuſtodiendo; hoc enim decretum ſupponit conſuetudinem præſcriptam eſſe circa exemptionem obligationis reſidendi; ſtatutum vero ſuſcitaſſe obligationem juris communis per ſimilem conſuetudinem præſcribi poſſe, ut abſentes per aliquod tempus fructus præbendarum percipiant, fuſe probat Th. Hurtado *de reſident. part.* 1. *reſ.* 3. *ſubreſol.* 13. §. 1. licet circa diſtributiones quotidianas nulla conſuetudine introduci poſſit, ut abſentes eas lucrentur, *c. unica de clericis non reſid. l. 6.* cujus differentiæ rationes varias aſſignarunt Selva *de benefic.* 5. *par. q.* 2. *n.* 1. Covarr. *l.* 3. *variar. c.* 13. *n.* 9. Garcia *de beneficiis*, 3. *p. c.* 2. *n.* 3. Rebuffus *in repetit. textus in c. extirpandæ*, §. *qui vero, de præb.* Curtius *de conſuet. n.*500. Ea tamen receptior videtur, quia videlicet etſi tam fructus præbendarum, quam diſtributiones quotidianæ deſignentur ad ſtipendium Canonicorum, fructus tamen deferuntur mediante titulo beneficii, quo jus competit ad eos percipiendos pro ſuſtentatione & alimonia, eo quod ſervitio Eccleſiæ mancipati ſunt, *ex c. cum ſecundum, de præb. c. fin. de reſcr. in* 6. docet Navar. *de Horis Canon. c.* 7. *n.* 31. Ac proinde non ſequitur, fructus ipſos, inſpecta primæva natura ſua, & ipſorum deputatione, ob hæc vel illa onera ſuſtinenda fuiſſe principaliter inſtitutos, quamvis prædicta onera veluti illi annexa ſubire teneantur, & legitime puniri in ipſorum fructuum privatione, vel aliis pœnis poſſint, ſi illa non impleverint, ut ex Concilio Lateran. & Extravag. Pii V. tradit Navar. *ubi proxime.* Secus vero diſtributiones, quia tales ſunt ſpecialiter, & inſpecta primæva natura, inſtitutæ fuerunt, ut actualiter divinis officiis aſſiſtentibus quotidie diſtribuantur: quo fit ut conſuetudo in hac ſpecie, tamquam contra naturam, ſeu ſubſtantiam actus improbetur, *d. c. unic.* ſecus vero quoad alios fructus, juxta præſentem textum.

7 g *Vineæ.*) Præbendæ enim habent fructus diſtinctos, & ſeparatos; ſed quia aliquando tenues ſunt proventus, prædia, vel alia immobilia fructifera illis annectuntur, *c. expoſuiſti, de præbendis, Clement.* 2. *de rebus Eccleſiæ.*

8 h *Ad ſucceſſores.*) Appellat Innocentius ſucceſſores Canonicos de cetero inſtituendos in præbendis per electionem & inſtitutionem canonicam, non quia jure hereditario in præbendis, aut beneficiis ſuccedatur, quomodo etiam ſucceſſores accipiuntur *in c.* 1. *de ſolut. c. fin. ne Prælati vices ſuas*; lato enim modo ille dicitur ſucceſſor alicujus, qui in locum illius ponitur, licet non ſit heres, *l. meminiſſe, ff. de officio Proconſ. l.* 1. *ff. de officio Præfecti Aug. l. edictum, ff. de judiciis.*

9 Edictum quod quiſque juris commendatur.

i *Quod quiſque juris.*) Quod præceptum continens ſummam legum, & Prophetarum, expreſſit Chriſtus Dominus *Matth. c.* 17. *v.* 12. his verbis: *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc eſt enim lex & Prophetæ.* Et *Lucæ c.* 6. *v.* 38 Facit illud *Tob. c.* 4. *v.* 16. *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias.* Quod præceptum in cordibus noſtris Dominum ſcripſiſſe, ait D. Aug. *in Pſ.* 57. ibi: *Quandoquidem manus formatoris noſtri, in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit, Quod tibi non vis, alteri non facias.* Et hoc præceptum eſſe breviarium totius juſtitiæ, dixit D. Hieron. ſeu ut alii volunt, Paulinus *epiſt.* 14. *ad Celantiam*, his verbis: *Sed quaſi ad compendioſum quoddam commonitorium illa tibi Evangelii eligenda ſententia, & ſuperſcribenda cordi tuo, quæ ad totius juſtitiæ breviarium ore dominico profertur: Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.* Et poſt pauca: *Quoties ergo talis erga alium fueris, qualem in te vis neminem, iter juſtitiæ dereliquiſti,* Commendarunt præceptum hoc SS. Irenæus *l.* 3. *c.* 1. Cyprian. *l.* 3. *ad Quirinum, contra Judæos,* Clemens *epiſt.* 1. Anacletus *epiſt.* 1. *&* 2. Calliſtus *epiſt.* 2. facit Tertull. *l.* 4. *adverſus Marcionem, c.*16. ibi: *Proinde & alii facere, quod ab alio mihi fieri nolim, injuriam, contumeliam, fraudem, & ejuſmodi mala; & de hac inconvenientia voluntatis & facti agunt Ethnici nondum a Deo inſtructi.* Hæc autem verba, *Quod Quiſque juris, &c.* ſunt edicti Prætorii, quod refertur *in l.* 1. *ff. quod quiſque juris*, & ejus meminerunt Conſulti, *in l. ſed & partus* 12. §. 1. *ff. quod mei cauſſa, l.* 3. §. 1. *ff. mandati, l. cum in eo* 44. *ff. de pactis, l. cum hereditas* 59. *ff. de adminiſtr. tut.* Imperatores *in l. ult. C. de fruct. & lit. exp. l. rata* 7. *C. de reſcind. l.* 1. *feudorum, tit.* 13. *c.* 1. *v. Eccleſia*, & *l.* 2. *c.*33. §. 2. de cujus edicti æquitate plura tradunt Corraſius *l.* 4. *miſcell. c.* 4. Duarenus *l.* 1. *diſp. c.* 49. Donellus *l.* 28. *comment. c.* 2. Barthol. Cheſius *interpret. juris c.* 35. Franciſcus Valens *in præſenti.*

10 De auctoribus gentilibus.

l *Sapientis.*) Ideſt Catonis; inter ejus enim dicta refertur ſententia, quæ in præſenti textu citatur, licet Alciatus neget prædictam ſententiam Catonis eſſe, ex eo quod apud Romanos ſententia cujuslibet viri ſapientis, Catonis ſententia dicebatur, teſte Plutar. *in vita M. Catonis.* Ex his autem verbis illud deducitur, novum non eſſe, Philoſophorum, aut Poetarum teſtimonia in Deciſionibus etiam Pontificis citari, & laudari, ut etiam conſtat *ex c. foras,* §. *jurgium, de verb. ſign.* ubi Virg. locus adducitur: *c. ſatyra,* 7. *diſt. c. ſi quid veri,* 27. *diſt. c. Dominus,* §. *dixit,* 1. *q.* 1. *c. legimus* 50. *de conſecr. diſt.* 5. Conc. Turon. II. *can.* 15. ibi: *Sicut ait Sen.* In Jure Cæſareo paſſim id uſitatum invenio, *in l. non tantum,* §. *ult ff. de rerum diviſ. l. ſeptimo, ff. de ſtatu hom. l. proponebatur, ff. de judic. l. antiqui* 3. *ff. ſi pars heredit. l. fin. ff. finium regund. l. ſi pater* 36. *ff. ſolut. matrim. l. legatis* 55. §. *pecoribus, ff. de legat.* 3. *non facile* 4. §. *gradus, ff. de gradib. l.* 1. *ff. de dono cauſſa mortis, l. ſi uxori* 13. §. 1. *ad leg. Jul. de adult. l. Cicero, l. aut facta* 8. §. *eventus, ff. de pœnis, l.* 1. §. 1. *de contrah. empt. l. utrum* 7. *ff. de rebus dubiis;* nam ut D. Aug. *l.* 2. *de Civit. Dei, c.* 14. ait; *Veritas ubicumque eſt, Domini noſtri eſt; & proinde a Gentilibus, tamquam ab injuſtis poſſeſſoribus, in uſum noſtrum vindicanda eſt.* S. Joan. Damaſc. *l.* 4. *de fide, c.* 18. ait: *Quod ſi quid, in quo utilitatis quidpiam inſit, ab exteris auctoribus ſumere poſſimus, quominus id faciamus nihil vetat.* Late illuſtrat omni genere eruditionis clarus D. L. Ramirez de Prado *in ſuo Schediaſmate.*

11 Legiſlator paret legibus.

k *Tuleris.*) Sancta, & ſalubris ſententia ab omnibus Principibus obſervanda, frequenter uſurpata ab Alexandro Severo, referente Lampridio *in ejus vita*, & eam refert Auſonius *in ſeptem Sapientibus*, his verbis: *Pareat legi quiſquis legem ſanxeris.* Conſonat textus *in c. pro illorum* 22. *c. cum nobis, de præb. l. ſed ſi hac,* §. 1. *ff. de in jus vocando, l. lege, C. de pactis,* 4. *C. de legib. l.* 15. *&* 16. *tit.* 1. *partita* 1. Sen. *epiſt.* 91. *Legem ſtatuens legi ſe ſubjicere debet.* Quod præceptum etſi ad inferiores Legiſlatores in præſenti textu referatur, tamen ad ſupremos Principes Legum latores ſpectare conſtat *ex l. digna vox. C. de legib. c. juſtum,* 9. *diſt.* variis auctoritatibus, & exemplis illuſtrant Corraſius *l.* 4. *miſcell. c.* 4. Cochier *l.* 2. *Theſauri Polyt. c.* 2. Mendoza *in Viridario, l.* 8. *c.*10. Marquez *in Gubernatore Chriſtiano, l.*2. *c.*2. Amaya *l.*1. *obſerv. c.* 1. Monacius *in d. l. digna vox,* Bernegerus *ad Tacitum, q.*35. Solorzanus *emblem.* 69. P. Pinto *in Iſaiam, c.*14. *not.* 4. *n.* 223. & alii *in c.* 1. *de proh. laud.*

12 Exponitur præſens textus.

l *Vel ſecundum.*) Quibus verbis loquitur Innocentius cum ipſis Judicibus delegatis, non vero cum Canonicis Trecenſibus, decernendo disjunctive, ut Canonicos æquales faciant, juxta conſuetudinem jam in Eccleſia præſcriptam, juxta quam etiam non reſidentes lucrabantur fructus ſuarum præbendarum; vel ſecundum rationabile ſtatutum noviter factum coæquarentur, ita ut omnes Canonici, tam ſeniores, quam juniores tantum reſidentes fructus perciperent: unde quærunt Repetentes in præſenti, an in hac alternativa electio ſit Canonicorum, vel potius Judicum, qui eos cogere poſſent ad obſervandum ſtatutum per eos factum, inſuper habita priſtina conſuetudine, vel ad ſervandam conſuetudinem legitime præſcriptam? Et Judices ipſos electionem habere, docuerunt hic Cardinalis, & Alexander de Nevo *n.* 12. pro quibus faciunt ſequentia Juris principia. Primum, nam in alternativis ille habet electionem, ad quem verba alternativa diriguntur, *c. ſicut, de Judæis, l. Lucio* 23. *ff. de legati* 2. *l. quicumque, C. de ſervis fugitivis:* probat Medera *animad. Jur. c.* 23. *nu.* 4. Sed in præſenti Innocentius loquitur cum ipſis Judicibus: igitur ipſis competit electio. Secundo, nam Judices delegati per ſententiam procedere debebant contra Canonicos, ſed ſententia alternative ferri non poteſt, cum certum debeat continere, *l. in ſententiis* 59. *ff. de re judicata, l. penult. & ult. de ſententiis & interl.* §. *curare, Inſtit. de actionibus;* ergo non poterant Judices delegati in præſenti caſu alternative pronuntiare ſententiam contra Canonicos. Tertio, nam Innocentius ſuam adſtruat ſententiam, utique edicto Prætoris, *quod quiſque juris:* ſed juxta illud, qui jus novum ſtatuit, tenetur illo præciſe uti: ergo Canonici Trecenſes, qui novum ſtatutum fecerant, tenebantur illud obſervare. Sed his fundamentis non obſtantibus, verius eſt in præſenti caſu Canonicos poſſe vel antiquam conſuetudinem conſervare, vel novum ſtatutum amplectentes, ſeniores junioribus coæquare, ut probat Franciſcus Valens *in præſ. notat.* 3. Et hæc ſententia valde conſona eſt mentis Innoc. III. qui tantum intendit coæquare ſeniores junioribus: quæ exæquatio duobus modis contingere poterat, vel ſi juniores conſuetudine præſcripta de percipiendis fructibus in abſentia uterentur, vel ſi ſeniores Canonici velint novum ſtatutum, quod pro junioribus fecerunt, obſervare: unde vere electio in præſenti caſu Canonicis competebat. Nec tunc obſtant fundamenta contrariæ ſententiæ. Non primum, nam principium in eo adductum non procedit; quando verba alternativa privatam partis utilitatem concernunt, quia tunc non judici, ſed parti competit electio. Abbas *in c. prout, num.* 22. *de dolo & contum.* Anton. de Burgos *in c. Paſtoralis, num.* 54. *de reſcr.* Sed præſens Decretalis alternativa privativam partis, hoc eſt Canonicorum, utilitatem reſpiciebat: ergo etſi verba dirigerentur Judicibus delegatis, tamen electio Canonicis competebat. Unde concludit Abbas *ubi ſup.* quod quando plura remedia a Jure introducuntur alternative, licet verba non dirigantur in partem, ſed ad judicem, nihilominus ex quo reſpiciunt utilitatem privatam, electio non datur judici, ſed parti, quo modo etiam intelligendus eſt textus *in c. per veſtras, de donat. inter,* juncto Scipione Gentili *l.* 4. *de donat. inter, c.* 23. Nec obſtat ſecundum contrariæ ſententiæ fundamentum: nam Judices curare debent in quantum poſſunt, certam ſententiam proferre: ſed ſi natura rei non patiatur, vel certam ſententiam non admittat, etſi ſententiam certam non proferant, ſententia vires habet, ut cum judex condemnat aliquem, qui alternative promiſit Stichum, aut Pamphilum non poteſt ſpecifice damnare ut ſolvat Pamphilum, ſed tantum unum, aut alium: ita etiam in judicio noxali judex debet damnare dominum ſervi, qui noxam dedit, ut damnum ſolvat, vel ſervum tradat, *l.* 1. *per tot. ff. de noxal. l. miles* 61. §. 1. *de re judicato.* Unde cum natura negotii, de quo in præſenti textu, non admitteret certam ſententiam, ideo judices delegati valide ſub alternativa eam proferre poterant. Nec obſtat ultimum fundamentum, nam illud procedit, quando jus ab aliquo ſtatutum, valide conditum fuit: at in præſenti caſu ſtatutum conditum a Canonicis Trecenſibus nullum fuit, ex rationibus ſupra adductis, unde præciſe Canonici non coguntur eo uti.

COMMENTARIUM.

13 Concluſio probatur.

Ex hoc textu ſequens communiter deducitur aſſertio: *Statutum factum a Canonicis inæqualitatem continens reſpectu proventuum præbendarum, invalidum eſt.* Probant eam textus *in c. cum M, hoc tit. c. cognovimus,* 12. *q.* 2. *c. fin. de majorit. & obed. c. cum in tua* 30. *de decimis, c. novit. de his quæ fiunt a Prælatis, c. fin. de his quæ fiunt a majori parte, cap. in noſtra* 8. *de injur.* faciunt textus *in lib.* 3. §. *ſocietas, lib. cum duobus* 42. §. *Papinianus, ff. pro ſocio, l. cum pater* 77. §. *evictis, ff. de legatis* 2. *lib. eum qui ædes, ff. de uſucapionibus, lib. fin. in fine princ. C. de fideicom.* Illuſtrant ultra ordinarios, & congeſtos a Barb. in præſenti, Antonius de Burgos, Martinus Uranius, Millianus, Franciſcus Valens, & Proſperus Fagnan. *in repetit. ad hunc textum* Suar. *de legib. l.* 4. *cap.* 6. *num.* 11. Lælius Macinus *genialium c.* 122. Alteſſerra *hic.*

14 Impugnatur tradita aſſertio.

Sed pro dubitandi ratione in præſentem aſſertionem ita inſurgo. Quod major pars Capituli ſtatuit, tamquam ab omnibus ſtatutum obſervari debet, *cap.* 12. 10. *qu.* 1. *cap. cum in cunctis, de his quæ fiunt a majori parte, lib. quod major ff. ad municipalem, lib. aliud,* §. *refertur, ff. de reg. juris, lib. nominatim* 9. *C. de Decur. lib.* 10. quia cum Capitulum ſit unum corpus, non debet duplici jure cenſeri, *cap. novimus,* 12. *qu.* 2. præcipue cum major pars Capituli aliquid ſtatuit ſecundum jus commune; tunc enim nec abſentium ſuffragia exiguntur, *cap. factus qu.* 1. docet Uranius *in præſenti nu.* 8. Sed in præſenti textu ſtatutum factum fuit, ut Canonici tenerentur reſidere, quod eſt ſecundum jus commune: *cap. inter, c. fin. de cler. non reſident.* Igitur cum fuiſſet factum a majori parte Capituli, ab omnibus Canonicis debebat obſervari. Accedit, nam novum non eſt, ut jure communi, conſuetudine, ſeu ſtatuto ſpeciali Canonici ſeniores in eadem Eccleſia junioribus præferantur, aliquaque præcipua obtineant, ut præcedentiam in Sede, *cap.* 1. *de majorit. & obed.* jus ad portionem percipiendam, *cap. ſtatuimus, eod. tit.* optionem ad Præbendam majorem, ſi vacaverit, *capit.* 2. *de conſuet. lib.* 6. ergo, & Canonici Trecenſes ſtatuto cavere poterant, ut ſeniores perciperent fructus præbendarum in abſentia; juniores vero tantum ſi reſiderent.

15 Traditur decidendi ratio.

Hac dubitandi ratione ita fulcita non obſtante; vera eſt præſentis textus deciſio, cujus varias rationes adducunt Repetentes *in præſenti.* Aliqui aſſerunt, ideo ſtatutum a Canonicis factum in præſenti caſu non valere, quia contra antiquam Eccleſiæ conſuetudinem factum fuerat, & contra conſuetudinem legitime præſcriptam Canonici aliquid novum ſtatuere non valent, *cap. cum conſuetudinis* 9. *de conſuet.* Sed hæc ratio facile convincitur ex eo, quia Canonici poſſunt nova ſtatuta condere, quando per ea reducitur ad uſum jus commune, ut in præſenti caſu contingit. Alii affirmant, ideo ſtatutum in præſenti caſu nullum eſſe, quia ſucceſſores prædeceſſoribus in eo reddebantur inæquales. Sed etiam hæc ratio refellitur primo, quia in præbendis Eccleſiaſticis non attenditur ſucceſſio: ſecundo quia novum non eſt, ut ſucceſſores plus minuſve juris habeant, quam anteceſſores, *lib. reperitur* 10. *ff. ad leg. Falcid.* Quare his, & aliis rationibus omiſſis, verius dicendum eſt, injuſtitiam præſentis ſtatuti provenire ex ejus inæqualitate; cum enim ſtatutum ſit legis ſpecies, *c.* 2. ubi probavi, *hoc tit.* & lex debeat eſſe juſta, æqualis, & honeſta, *c. erit autem,* 4. *diſt.* ideo ſtatutum, de quo in præſenti, inæqualitatem continens, nullum erat. Illud enim factum erat in utilitatem ſeniorum, & damnum juniorum, non in commune bonum, ſed potius ex zelo avaritiæ, & cupiditatis, cum Canonici deberent eſſe in fructuum perceptione æquales: nam cum faciant unum corpus, diverſo jure cenſeri non debent, *cap. cognovimus,* 12. *qu.* 2. *cap. quia circa, de privilegiis, lib. ſemper* 5. *ff. de jure immunit.* facit Caſſiodor. *lib.* 1. *ep.* 9. *Iniquum eſt, ut de eadem ſubſtantia, quibus competit æqua ſucceſſio, alii abundantes affluant, alii paupertatis incommodis ingemiſcant.* Illuſtrat perdoctus Vir Academiæ noſtræ decus D. Joannes Solorzanus *tomo* 2. *de jure Ind. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 82. & licet ſeniores a junioribus ſint honorandi, non tamen juniores a ſenioribus ſunt contemnendi, vel utilitatis commodo privandi, Concil. Tolet. VI. *can.* 13. ibi: *Qui Primatum dignitatis, atque reverentiæ, vel gratia ob meritum in palatium honorabiles habentur, his a junioribus modeſtus honor per omnia deferatur, qui etiam juniores a ſenioribus & dilectionis amplectantur affectu, & utilitatis imbuantur exemplo.* Juſte ergo Innocentius in præſenti decrevit, Canonicos juniores Eccleſiæ Trecenſis coæquandos eſſe ſenioribus, aut juxta antiquam ipſius Eccleſiæ conſuetudinem, vel juxta novum ſtatutum, tam in lucrandis in abſentia fructibus præbendarum, quam in vinearum annexione.

Nec obſtat dubitandi ratio ſup. adducta, videlicet factum a majori parte Cap. tamquam ab omnibus ſtatutum obſervari debere; nam procedit, quando negotium pertinet ad omnes de Cap. univerſos, non vero ut ſingulos, quia hoc caſu factum Cap. debet ab omnibus approbari, ex vulgari illa juris regula. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari: c. quod omnes, de reg. jur. lib.* 6. & in cauſſa communi pluribus, ut ſingulis potius habetur ratio diſſentientium, *l. Sabinus, ff. communi dividundo, lib. per fundum, ff. de ſervitutibus ruſtic. l. receptum, ff. communia prædiorum:* imo unus contemptus reddit actum, ſtatutumve in ſui præjudicium factum nullum, *c. quod ſicut, c. bonæ, de elect.* unde cum in præſenti caſu facultas lucrandi fructus præbendæ, & utilitatis vinearum reſpiceret omnes Canonicos ut ſingulos, inde ſtatutum factum a majori parte in minoris præjudicium non ſuſtinetur. Ita docent omnes repetentes *in præſenti,* qui latius proſequuntur, quando negotium ad ſingulos ut ſingulos, vel ut univerſos ſpectat. Nec obſtat argumentum ipſius dubitandi rationis; nam licet in fructuum perceptione coæquandi ſint Canonici ſeniores junioribus, & juniores ſenioribus; tamen in honore exhibendo, & aliis prærogativis poſſunt, & debent ſeniores junioribus præferri, *d. c. ſtatuimus,* ubi dicemus: & ſi præbendæ non ſint diviſæ in portionibus, præferuntur antiquiores, ſi autem ſint diviſæ, ut erant in Eccleſia Trecenſi, quilibet Canonicus habet propriam portionem, licet conſuetudine etiam eo caſu introduci poſſit, ut reſpectu diſtributionum melioris conditionis ſint antiquiores, quam juniores, ut docuit Gloſſa *in d. c. ſtatuimus:* juxta quæ juris principia recte docuit Innocentius *in præſenti,* Canonicos Trecenſes juniores eſſe coæquandos ſenioribus quoad fructus præbendarum. 16 Diſſolvitur dubitandi ratio.

Sed adhuc præſenti aſſertioni obſtare videtur text. in *cap. cum dilectus de Clericis non reſident.*, ubi cum Canonici Eccleſiæ Metenſis ſtatutum conderent, ut non niſi præſentes fructus ſuarum præbendarum perciperent, & quidem Canonicus eſſet in ſervitio Rom. Pontificis, quæſitum fuit, utrum ipſe fructus ſuæ præbendæ non obſtante ſtatuto percipere poſſit? Et reſpondit Honor. III. quod cum familiares, & obſequiales Rom. Sedis non minus ſint in ſervitio Eccleſiæ, quam actualiter in ea reſidentes, ideo prædicto Canonico fructus integre eſſe præſtandos: quem textum ſic expendo. En ubi tantum ex indulgentia Canonicus abſens lucratur fructus, quos alias propter ſtatutum ab aliis Canonicis factum amitteret: ergo in præſenti caſu Canonici juniores ſtatuto a ſenioribus facto ligabantur. Cui difficultati reſpondendum eſt, in eo textu ſtatutum factum fuiſſe juxta jus commune, videlicet ut tantum Canonici reſidentes fructus præbendarum perciperent, alias eos amitterent: quo caſu omnes Canonici tali ſtatuto tenentur, unde *in d. c. cum dilectus,* Canonicus exiſtens in ſervitio Pontificis, fructus præbendæ ſuæ lucratur, quia pro reſidenti habetur, cum extet in ſervitio Romani Pontificis. Etiam opponi poteſt textus *in c. conſuetudinis* 9. *de conſuetudine,* junctis ibi adductis. 17 Exponitur c. cum dilectus, de cler. non reſiden.

C A P U T VII.

Idem *Matthæo a Genetenſi Epiſcopo.*

Quæ in *b* Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum virorum præjudicium attentantur, firmitatem ſortiri non decet, ſed ad Eccleſiarum indemnitatem debent potius infirmari. Sane pervenit ad audientiam noſtram, quod *c* Terviſinus, & Coneglanenſis conſtituendo ſibi, & utinam ſibi tantum, juriſdictionem temere uſurpantes, impietatem pallīant ſub nomine pietatis: & dum quibuſdam ex alieno gratiam exhibere nituntur, Eccleſiis ſunt, & viris Eccleſiaſticis oneroſi. *d* Conſtituerunt ſiquidem, ſicut accepimus, quod ſi quis ſe ad inopiam vergere probabiliter allegarit, alienandi feudum quod ab Eccleſia, vel aliis tenet, officiales adhuc a Terviſinis civibus, & Coneglanen. deputatis liberam habeant facultatem, ne emptor priori domino teneatur reſpondere, niſi tantummodo in ſexta *e* parte pretii, quam ipſi, ſi recipere voluerit, exhibebit: ex quo Eccleſiaſtica non modicum jura læduntur. Volentes igitur Eccleſiarum indemnitati conſulere & hujuſmodi gravaminibus providere, conſtitutionem hujuſmodi, & venditiones feudorum Eccleſiaſticorum factas ſine legitimo Eccleſiaſticarum perſonarum aſſenſu, occaſione conſtitutionis, imo verius deſtitutionis, vel deſtructionis iſtius, præſentium auctoritate caſſamus, & vires decernimus non habere. Nulli ergo, &c. hanc paginam noſtræ caſſationis, &c. Datum Laterani x. Kal. Aprilis.

N O T Æ.

a CEnetenſi.) In hac ſexta collectione legitur Tridentino, in tertia vero ſub hoc titulo, *c.* 1. habetur Trecenſi:
1 *Geneta urbs ubi.* ſed tam inſcriptionem, quam litteram reſtituo ex regeſto epiſtolarum Innocentii III. Coloniæ edito, & correcto a Cardinali Sirleto, ubi *f.* 281. reperitur hic textus. Cœneta, vulgo *Ceneda*, eſt civitas Venetiæ, Provinciæ Aquilejenſis, cujus Epiſcopus Urſinus ſubſcripſit epiſtolæ Synod. Concilii Occidentalis, ſub Agathone, ut refert Carolus a Sancto Paulo *l. 1. geograph. ſacra, fol. 65.* cujus Eccleſiæ hiſtoriam ſcripſit Venantius Fortunatus ejus Præſul.

2 b *In Eccleſiarum.*) Idem Innoc. *lib. 1. in d. regeſto, fol. 49. Quæ in monaſteriorum, & religioſorum locorum præjudicium attentatur, in ſtatum convenit debitum revocari: nec firmitatem debent aliquam obtinere, quæ in enorme damnum ipſorum minus licite præſumuntur.*

3 c *Terviſini.*) Terviſium urbs Venetiarum eſt, vulgo dicta
De Terviſina urbe. *Treviſo*, cujus cives ſtatutum fecerunt, ut ſi ad inopiam aliquis eorum vergeret, poſſet feuda etiam Eccleſiæ propria auctoritate alienare: cujus ſtatuti meminit idem Innocentius *l. 3. regeſt. 14. epiſt.* 160. & *l. 4. ep.* 19.

d *Conſtituerunt.*) Frequenter enim Italiæ Civitates excuſſo
4 Imperii jugo Conſules, ſeu Senatores conſtituebant, & cum ipſis ſtatuta ad regimen proprium faciebant, ut de Patavina Civitate conſtat *ex c. ſicut 7. hoc tit. in 5. compil.* de Januenſi *in c. per veſtras, de donat. inter.* de Florentina *ex c. finali, de judiciis*, & etiam de Cenomanenſi *ex cap. cum inter, de conſuetudine.*

5 e *Sexta parte pretii.*) Ex quibus verbis deducitur, cives Terviſinos inter alia ſtatuta ſuæ Reip. utilia illud etiam feciſſe, videlicet, ut ſi aliquis ex eis ad inopiam vergere probabiliter allegaſſet, alienandi feudum, quod ab Eccleſia, vel aliis perſonis obtineret, liberam haberet facultatem, itaut novus vaſſallus non teneretur priſtino Domino ſolvere niſi ſextam partem pretii. Quo ſtatuto Eccleſiæ patrimonium graviter lædebatur; nam feudum irrequiſito Domino a vaſſallo alienari non poteſt, *§. callidis, §. habita, §. nos autem, de prohib. feudi alienat.* alias vaſſallus, qui feudum Domino illaudato alienavit, illud amittit, *c. 2. de feudis*, ubi probavi, *verbo Alienare*, & docent Alteſſerra *de feudis, cap.* 15. Pater Gibalinus *de uſuris l. 4. c. 3. art.* 6. Deinde graviter lædebatur Eccleſia: nam ut annuente Domino rite feudum alienetur, tenetur novus vaſſallus recognoſcere priorem Dominum cum eadem præſtatione, quam perſolvebat primus vaſſallus, ut cavetur *l. 2. feudorum, titulo* 9. Unde apparet ex præſenti Terviſinorum ſtatuto admodum lædi patrimonium Eccleſiæ, Eccleſiaſticarumque perſonarum.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu, & *ex c. Eccleſia 10. hoc tit.* communiter ſe-
6 *Concluſio refertur, & probatur.* quens deducitur aſſertio: *Leges, ſeu ſtatuta laicorum non ligant Eccleſiaſticos, ſeu Eccleſiæ bona.* Probant eam text. *in c. 1. d. 10. c. bene, c. cum ad verum, 96. d. c. placuit 2. c. nullus judicium, c. clericum 11. q. 1. c. non placuit 23. 16. q. 17. c. inter hæc 33. q. 2. c. finali, de rebus Eccleſ. c. non minus, c. adverſus, de immunit. Eccleſ. c. clericis, §. nos igitur, c. finali, eod. tit. l. 6. c. noverit: c. grave, de ſent. excom. c. ſtatutes, de teſtibus cap. ſtatutum, de hæreticis in 6. c. ad honorem, c. ſicut, hoc tit. in 5. compil. authent. caſſa, C. de ſacroſ. Eccl.* conſonat lex 57. *tit. 6. partita* 1. Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa in præſenti, & *voto* 26. Valenzuela, Guevara & Zamel *integris tractatibus pro monit. Pauli V. adverſus Venetos*, Caſtillo *l. 6. controv. c. 8. & 9.* Frances *de competentiis, qu.* 99. Villarcol. *p. 2. regim. Eccleſiæ, qu. 12. ar.* 15. Chriſtineus *tom. 1. dec.* 203. Marinis *l. 2. reſ. c.* 213. Diana *p. 5. tract. 1. reſol. 4. & p. 6. tr. 3. reſ.* 7. Bellarm. *t. 1. controv. l. 1. de clericis, c. 28. verſiculo Secunda propoſitio*, Victoria *in relectione de poteſtate Eccleſiæ, q. ultim. n.* 4. Molina *de juſtitia, t. 1. diſp. 73. art.* 1. Vaſquez *in 1. 2. diſp. 167. c.* 4. Frances *parte 3. Paſtor regul. voto* 9. Suarez *l. 3. de legibus, c. 32. & adverſus Regem Angliæ l. 4. c. 16. & de cenſuris diſp. 29. ſect.* 2. Morla *in emporio, tit. de legibus, q.* 16. Antonius Auguſtinus *in epitome juris Pont. l. 4. tit.* 60. Covar. *practicarum cap.* 31. Vighelius *in methodo juris canon. 2. excep.* 1. Alderan. Maſchard. *de interpret. ſtat. concl.* 1. Marra *de juriſdict. caſu 5. n. 26. & caſu 51. n.* 8. Salas *de legib. diſp. 1. ſect. 8. n.* 92. Guttierez *practic. l. 4. q.* 38. Germonius *de ſacrorum immunit. l. 2. c. 11. num. ultimo*, Cancerius *l. 2. variar. cap. 2. n.* 94. pluribus relatis Carleval. *t. 1. de judiciis, diſp. 2. q. 6. ſect.* 1. Selva *de ſalariis famil. q. 10. & 17.* Mancinus *genialium c.* 266. Seſſe *tom. 2. dec. 13. n.* 40 Gunnius *de ſtatutis. cap.* 5. Thom Benus *de immunit. Eccl. par. 1. cap. 8. dubio 2. & parte 2. cap. 14. dubio* 5. Hermoſilla *in lib. 3. Gloſſa 2. tit. 5. lib. 5. recopil.* Viccus *ad leges Sardiniæ, tit. 5. cap.* 4. Germonius *lib. 3. de ſacrorum immunit. cap. 15. num. 103. & lib. 1. animadv. cap.* 12. Gibal. *tomo 2. ſcint. can. lib. 5. cap. 9. qu.* 2. Alteſſera *hic.*

Sed pro dubitandi ratione in præſentem aſſertionem ita in-
7 *Impugnatur tradita ſententia.* ſurgo. Licet injuſta ſtatuta laicorum repugnantia directe, vel indirecte immunitati Eccleſiaſticæ, non ligent Eccleſiaſticos, Eccleſiaſticaque bona, tamen ſtatuta civilia juſta, quæ pro tota populi utilitate feruntur, quorum materia communis eſt Clericis, & aliis civibus, omnes obligant; unde paſſim legimus, leges civiles ab Eccleſiaſticis perſonis amplecti, & obſervari, *c. in auditorium, 10. d. c. cum ad verum, diſt. 96. c. 1. 3. q. 8. c. in legibus 12. q. 2. c. finali 16. q. 3. c. ita diligere 30. q. 3. c. innotuit, de arbitriis, c. 1. de novi operis, c. ſuper ſpeculæ, de privilegiis*; & Romani Pontifices in decidendis cauſſis Eccleſiarum, & Clericorum ſæpe ſæpius utuntur legibus civilibus, *c. ex antiquis, 54. d. c. accuſatores 3. q. 8. c. cum devotiſſimum, 12. q. 2. c. id conſtituimus, 17. q. 4. c. 2. de alienatione judicii, c. 1. de juramento calumniæ, c. 1. de confeſſis, c. Paſtoralis, de cauſſa poſſeſſ. c. de re judicata, c. venientes, de jurejurando, cap. ſecundo requiris, de appellationibus, c. cum dilecta, de confirmatione utili, c. 2. de conceſſ. prebend. c. cum ab omni, de vita & honeſt. clericorum, c. inter alia, de immunit. Eccl. c. 2. de ſponſ. c. ex diligenti, de ſimonia, c. calumnia, de pœnis, c. quid per novale, de v. ſ. c. auctoritate, c. dudum, de conceſſ. prebendæ, l.* 5. Similibus enim legibus, ſeu ſtatutis tenentur Eccleſiaſticæ perſonæ, ex ratione naturali, juxta quam obligantur ad ea ſervanda, quæ ad pacem, & publicam utilitatem ſunt conſtituta, utpote membra ipſius reipublicæ, *lib. jubemus, Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* quam illuſtrat Pancirola *l. 1. variar. cap.* 164. nam ex Clero, & populo una reſpublica coaleſcit; & ideo Clerici de temporali diſtrictu dicuntur *in cap. finali, de officio deleg. l.* 6. Docuerunt Bartolus *in leg. 1. ff. ad municip. n.* 11. Valaſcus *conſultatione 10. num.* 2. & tamquam uni de populo reputantur, ut probarunt Gregor. Lopez *in lib. 5. tit. 2. Gloſſ. 2. partita* 1. Gabedo *de patron. c. 36. n.* 1. Marta *de juriſd. 4. p. caſu 1. n.* 27. quam doctrinam ad varios caſus forenſes notarunt Lapus *alleg.* 10. ubi plura Mandoſius Salzedo *in praxi, c.* 55. Paz *in l. 3. ſtyli, n.* 338. ergo Eccleſiaſticæ perſonæ ligantur ſtatutis civilibus laicorum, quæ pro communi reipublicæ bono facta ſunt. Et generaliter teneri Clericos edictis, mandatiſque ſupremi Principis obedire, tenuerunt Bellarm. *l. 1. de Rom. Pontif. c.* 7. & *de clericis c.* 28. Farinacius *de inquiſit. q. 8. n.* 30. Marta *de juriſd. diſt. caſu 2. n.* 27. P. Molina *t. 1. de juſtit. diſp.* 31. Covarruv. *in reg. poſſeſſor, 2. p. §. 4. n.* 29. Menoch. *l. 8. conſil. 800. n.* 21. & *l. 10. conſil.* 1000. Avendanno *de exequendis, 2. p. c.* 14. Bobadilla *l. 2. polit. c. 28. n.* 222. Sarmiento *l. 7. ſelect. c.* 13. Solorzanus *t. 2. de jure Indiarum, l. 3. c. 17. n.* 26. Unde Clerici tenentur legibus & ſtatutis civilibus taxantibus pretia rerum, ut apud nos *l. 1. tit. 24. l. 5. recopil.* ubi continetur pragmatica taxæ panis, qua Clerici tenentur. Mexia *in eadem pragmat. concl. 5. n.* 3. Sotus, Mathienzo, & alii relati a Barboſa *in præſenti, n.* 3. Similiter tenentur ſtatutis prohibentibus venationem, ſeu piſcationem certis temporibus. Morla *de legib. q. 16. n.* 16. item ſtatutis, in quibus agitur de puniendis damnis in prædia aliena a pecudibus admiſſis. Azebeno *in l. 13. tit. 12. l. 1. recop.* Item ſtatutis imponentibus certam collectam ad reparationem pontium, & murorum, cum auctoritate Eccleſiæ factis. Avendannus *de exequendis, 2. parte c.* 14. Guttierez *allegat. 10. n.* 2. Item ſtatutis tempore ſterilitatis factis, quibus prohibetur extra territorium vinum, ſeu frumentum extrahere. Diana *p. 1. tr. 2. reſol.* 70. & *p. 6. tr. 8. reſol.* 4. Bobadilla *l. 2. polit. c. 17. & 18.* Ergo, & ſtatutis, de quibus in præſenti agitur, Eccleſiaſtici, Eccleſiæque bona ligabantur. Non parum fulcitur hæc dubitandi ratio, ſi perpendamus juſtitiam, & rationem ſtatutorum, tam urbis Terviſinæ, de quibus in præſenti textu, quam ſtatuti urbis Romæ, de quo *in dicto c. Eccleſia*. Statuta enim Terviſina, id continebant, videlicet ut civibus ad inopiam vergentibus, licet feudum alienare, ita ut pretii ſexta parte domino ſoluta, feudum allodium remaneret penes emptorem, ideſt ab omni clientela liberum, ut refert ipſe Innoc. III. *l. 4. ep.* 19. ibi: *Cum Terviſienſis civitas ſtatuiſſet, ut de feudis venditis ſexta pars pretii ad feudorum Dominos volveretur, & ſic feudum fieret emptoris allodium.* Et *ep.* 160. ibi: *Juxta Terviſinenſis civitatis ſtatutum, pretii ſexta parte, &c.* Sed hoc ſtatutum ab Eccleſia ſervandum, & fovendum erat, ut cum per illud conſuleretur civium egeſtati, ne ea laborantes fame perirent, quod præcipue ad curam Eccleſiæ, clericorumque ſpectabat, *cap. non ſatis, c. paſce 83. diſt.* ergo ut ita civibus egenis ſubveniretur, Eccleſia, Eccleſiaſticique debebant illud cuſtodire, & obſervare; præcipue cum per illud æque conſuleretur clericis ac laicis, videlicet ut clericis ad inopiam vergentibus liceret uti prædicto ſtatuto: ergo ſi illis eo uti licebat, & tali ſtatuto ligari debebant. Similiter ſtatuto urbis Romæ cavebatur, ut ſi quis poſt litem conteſtatam rem a ſe petitam in alium transferret, daretur poſſeſſio petitori, & alter fieret de poſſeſſore petitor, ſed hoc ſtatutum conſonum eſt diſpoſitioni, tam juris canonici, quam civilis; ſiquidem utroque jure cavetur rei litigioſæ alienationem non valere, adeo ut qui eam acquiſierit, pretio amiſſo rem reſtituere teneatur, *l. finali, C. de litigioſis, c. fin. de alienatione judicii*: ergo tale ſtatutum ut juri canonico conſonum, ab Eccleſiaſticis perſonis etiam obſervari debebat. Deinde inſurgi etiam poteſt in eam partem concluſionis, ubi aſſeritur, ſtatuta laicorum adeo invalida eſſe reſpectu Eccleſiæ, Eccleſiaſticarumque perſonarum; ut etſi earum utilitatem reſpiciunt, nulla ſint; nam privilegium alicui conceſſum, non debet adeo late extendi, ut in ejus damnum retorqueatur: ſed ſi hujuſmodi ſtatuta ſint nulla, etiamſi Eccleſiæ utilia, in damnum Eccleſiæ id provenit: ergo ſuſtineri debent, præcipue cum laici poſſint privilegia concedere Eccleſiæ, Eccleſiaſticiſque perſonis.

Qua dubitandi ratione ita fulcita non obſtante, vera eſt præ- 8
ſens aſſertio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, duo eſſe genera Chriſtianorum, *c. duo, 12. q.* 1. quorum aliud a Græco verbo *Laos*, quod latine populum ſignificat, laici appellantur, ſive populares, quibus nulla functio Eccleſiaſtica commiſſa eſt: cum enim non ſint aliquo gradu ordinis inſigniti, non habent *Duo ſunt genera Chriſtianorum.*

aliquam

aliquam in Eccleſia poteſtatem. Bellarm. *l. 1. de clericis, c.* 1. unde provenit, quod illis quantumvis religioſis nulla eſt attributa poteſtas diſponendi de rebus Eccleſiæ, *c. bene, 96. d. c. non placuit 23. c. laicus 24. q. finali, c. finali, de rebus Eccleſiæ*: & ita Principem, ſeu Magiſtratus ſæculares non poſſe de rebus Eccleſiæ, ſeu de Eccleſiaſticis perſonis leges proferre, probat late Petr. Marcha *lib. 2. concord. cap. 9. cum ſequenti.* Aliud vero genus hominum a Græco verbo *Cleros*, quod latine interpretatur *ſors*, Clerici dicuntur, quaſi ſorte, vel in ſortem electi, quia S. Mathias, qui primo per Apoſtolos legitime ordinatus fuit, ſorte electus eſt; vel quia de ſorte Domini ſunt, ut ait D. Iſidor. *in c. cleros, 21. diſt.* vel quia ſunt ſors, & hereditas Domini, ut inquit idem S. Doctor *in c. cleros, 23. q.* 1. Illuſtrant Bellarm. *l. 1. de clericis, c.* 1. Alciat. *l. 2. parerg. c.* 22. Tiraquel. *de primog. q. 17. oppoſit.* 1. Clerici autem, quaſi Domini, ſors, & hereditas, divino cultui conſecrati, curandæ religionis, ac rerum ſacrarum ſolicitudinem ſuſceperunt, & omnino divinis officiis mancipati, inſerviunt Eccleſiæ, & propterea populi, appellatione ſtricte ſumpta non comprehenduntur, *c. 1. de prebendis*, & pro illorum regimine diſtinctæ ſunt poteſtates, laica videlicet, ſive civilis; & Eccleſiaſtica, ſive ſpiritualis, *c. quoniam 10. diſt. c. cum adverſus, c. ſi Imperator, 96. diſt. c. ſolitæ, de majorit. & obed.* Et licet utraque poteſtas divinitus ſit inſtituta D. Paulus *ad Romanos c.* 13. ibi: *Non eſt poteſtas niſi a Deo*, Joannes *c. 19. c. quod jure, 81. diſt. c. quoniam de judiciis*: tamen Eccleſiaſtica poteſtas major eſt quam ſæcularis, *d. c. ſolitæ*, ubi probavi; & non ſolum clerici ſunt exempti a laica juriſdictione, *c. denique, 96. diſt. c. nullus 6. c. Chriſtianis, c. Sylveſter, c. relatum, c. placuit, & per totam 11. q. 1. c. clericis, c. at ſi clerici*, ubi dicemus, *de judiciis*: verum, & bona Eccleſiaſtica exempta ſunt ab omni politica poteſtate *c. 1. 96. diſt. c. præcipimus 12. q. 1. c. 1. de immun. Eccl. l.* 6. & in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *in Bulla de reformat. §. & cum*, prohibetur laicis non ſolum diſpoſitio, verum & adminiſtratio bonorum Eccleſiæ.

Deinde ſciendum eſt, ſtatutum appellari illud jus, quod
9 *Statuta qui facere poſſint.* quiſque populus intra Provinciam ſuam, & territorium ſervandum ſanxit, ut docent de ſtatutis agentes Albericus Roſat. Alderanus Maſcardus, & Hunnius *ubi ſupra*, Nicolaus Bethuſius *de ſtatutis cap.* 1. Inter præcipua autem requiſita, quæ deſiderantur ad ſtatuta condenda, eſt juriſdictio in ſtatuentibus, ita ut illi demum ſtatuta condere poſſint, qui juriſdictionem habent, ac imperium, *lib. omnes, ff. de juſtit. & jure, novella de defenſor. civitatum, §. 1. collat.* 3. Guttierez *l. 1. canonic. c. 4. n.* 7. Myſingerus *reſponſorum c.* 31. quippe facultas hæc condendi ſtatuta, juriſdictionalis eſt, Marcha *de juriſdict. p. 4. centuria 1. caſu 52. n.* 9. quare ſtatuta facere poſſunt Reſpublicæ, *l. 1. C. de emancipatione liberorum, l. Antiochenſium, ff. de privilegiis credit.* plura Greg. Lopez *in l. 12. tit. 1. partita* 1. Legati Romanæ Sedis, *c. finali, de officio Legati, l.* 6. Nec obſtat quod univerſitates, & collegia, etiam illa, quæ nulla juriſdictione decorata ſunt, ſuper adminiſtratione rerum ſuarum ſtatuta facere poſſunt, ut probant communiter repetentes *in l. omnes populi, ff. de juſtitia, & jure*, Zaſius *in l. de quibus, ff. de legibus*, Gunnius *de ſtatutis c. 2. n.* 5. Pater Mendo *de jure academ. l. 1. q.* 36. nam hujuſmodi ſtatuta, ſeu diſſipationes, cum ad cauſarum deciſionem non pertineant, ſed tantum ad publicorum munerum, aut negotiorum geſtionem, pecuniæ, vel annonæ collectionem, & erogationem, rerumque civitatis defenſionem, & conſervationem; proprie ſtatuta, vel jus municipale dici nequeunt, ſed tantum communia univerſitatis, aut Collegii placita, licet abuſive publica dicantur, cum ipſæ civitates privatorum loco habeantur, *l. bona 5. cum ſequenti, ff. de verb. ſignif.* Unde hujuſmodi ſtatuta non leges, ſed conventiones appellantur, *l. 4. & finali, ff. de collegiis*. Statutis ergo ab habente poteſtatem legitime factis, illi tantum ligantur, qui juriſdictioni, & imperio ſtatuentium ſubduntur; non vero ligantur ſuperiores, *l. eſt receptum 14. ff. de juriſdictione*: quod adeo procedit, ut etſi ſuperior ſtatuentium ſimul civis ſit, non ligetur ipſius civitatis ſtatutis. Maſchard. ubi ſupra, *concl. 5. n.* 176. nec ſtatutis obligantur illi, qui imperio ſtatuentium non parent. Gailus *obſerv. c.* 52. unde ſtatutum extra territorium ſtatuentium non extenditur, *l. finali*, ubi Alexander *n. 13. de juriſdictione*, Valenzuela *conſilio 55. n.* 28. proſequitur latius Hunnius *de ſtatutis, c.* 2.

10 Quibus ſuppoſitis apparet ratio præſentis aſſertionis; nam cum
Traditur ratio decidendi. Eccleſiaſticæ perſonæ, Eccleſiaſticaque bona exempta ſint ab omni juriſdictione laicali, & ut aliquis ligetur ſtatutis municipalibus, deſideretur juriſdictio ex parte ſtatuentis, *c. a nobis, el primiero, de ſent. excom.* quia ſtatuta facere eſt de lege juriſdictionis, *lib. omnes, ff. de juſt. & jure, authent. de defenſor. civit. §. 1. coll.* 3. probat Gutierrez *lib. 1. canonicar. c.* 7. juſte Innoc. III. decrevit ſtatutis laicorum nec Eccleſiaſtica bona, nec Eccleſiaſticas perſonas teneri: præcipue, nam ſtatuta communiter pro populo conduntur; ſed clerici in ſtricta populi acceptione non veniunt, *c. 2. de prebendis*, Felin. *in c. Eccleſia, hoc tit.* Didacus Perez *in l. 1. tit. 3. lib. 1. ordin.* licet juxta latam ſignificationem, & ſubjectam materiam ſæpius clerici ſub appellatione populi comprehendantur, *l. 1. C. de ſumm. Trinit.* Carleval. *de judiciis diſp. 2. q. 2. n.* 38. Valaſcus *conſult. 100. n.* 5. Bobadilla *l. 2. polit. c. 18. n.* 87. Unde ex defectu juriſdictionis ſimilia ſtatuta nulla ſunt *c. ita Dominus, 19. d. c. Imperator, 96. d.* Secundæ etiam partis hujus concluſionis ratio in eo conſiſtit; nam ſi ſtatutum etiam favorabile admitteretur ab Eccleſia, prout ſtatutum erat, quædam poteſtas denotaretur in laicis diſponendi aliquo modo de rebus Eccleſiaſticis, & perſonis: ſed laicis nulla competit ſuper his diſponendi facultas, *d. c. bene*, igitur etſi ſtatutum a laicis factum ſit Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticis perſonis favorabile, non ideo ſuſtineri debet, niſi ab Eccleſia recipiatur, & approbetur. Diana *par. 4. tr. 1. reſ. 14. & p. 6. tr. 3. reſ.* 3.

Ex qua deciſiva ratione provenit; non valere ſtatutum, 11
quo prohibetur Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticis perſonis de novo *Variæ illationes.*
aliquid acquirere, vel quo obſtringuntur titulo oneroſo, vel lucrativo jam acquiſita alienare, ut late defendunt Barboſ. *voto* 76. Guevara, & Valenzuela contra Venetos *ubi ſup.* Similiter non ſuſtinetur ſtatutum prohibens ædificare Eccleſiam abſque licentia Principis. Diana *p. 1. tr. 2. reſ.* 29. neque ſtatutum excludens ingredientem monaſterium a ſucceſſione parentum, Maſchardus *dicta concluſ. 1. n.* 14. Item diſponens, ut Eccleſia teneatur vendere ſingulis annis tot amphoras ex ſuo vino, vel oleo. Maſcardus *ubi ſupra n.* 17. Item prohibens legare ad pias cauſſas, aut aliquid ſtatuens circa funera defunctorum, videlicet circa numerum Clericorum, ſeu Miſſarum, circa pompam vero, & immenſas funeris poteſt ſtatutum per laicos fieri, ut pro illuſtratione legis *2. tit. 5. l. 5. recopil.* docet Barboſa *d. voto* 76. etiam nullum eſt ſtatutum prohibens Eccleſiaſticis apprehendere poſſeſſionem abſque licentia poteſtatis temporalis: Decius *in c. Eccleſia, hoc tit. n.* 185. vel diſponens, quod exceptio excommunicationis non poſſit opponi in judicio ſæculari. Maſcard. *ubi ſupra n.* 24. aut obſtringens litigantes ad compromittendum, Maſchard. *ſup. n.* 34. vel ut utantur in judicio charta ſigillata, vulgo *papel ſellado*. Barboſ. *vot.* 120. Circa ſtatuta prohibentia extractionem, vel aſportationem certæ mercis intra, vel extra provinciam, diſtinguendum eſt; vel enim ſimilia ſtatuta reſpiciunt utilitatem publicam, & omnes ligant; vel utilitatem privatam eorum, qui ſimilem mercem vendunt, & tunc Eccleſiaſtici non tenentur ea obſervare, ut circa varios caſus reſolvunt Marinis *l. 1. reſ.* 31. Burſat. *l. 1. conſil.* 18. Sperell. *dec.* 12. Genuenſis *in praxi, c.* 75. Trullench *in Decalog. l. 7. c. 12. dubio* 5. Ciarlinius *l. 1. controv. c.* 31. Barboſa *voto* 26. Invalida etiam ſunt omnia ſtatuta, quibus aliqua gabellæ ſpecies imponitur Eccleſiæ bonis, *c. quamquam de cenſib. in 6.* & tandem omnia, per quæ Clerici redduntur timidiores, laici vero audaciores efficiuntur, ut reſolvit Maſcard. *ubi ſup. n.* 8. hæc enim, & ſimilia ſtatuta immunitati Eccleſiaſticæ contraria, quæ congerunt Hermoſilla, & Maſchardus ubi ſupra, invalida ſunt, & eorum auctores, Conſules, Poteſtates, Barones, quorum conſilio, & auctoritate facta fuerint, ipſo jure excommunicationem incurrunt, *c. noverint, c. gravem, de ſentent. excomm. c. eos, de immun. Eccl. l.* 6 & in cenſuram Bullæ Cœnæ Domini incidunt, ut pluribus relatis docet Leander *de cenſuris tr. 3. diſp.* 16.

Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta, pro cujus ſolu- 12
tione dicendum eſt, Clericos ſubjici legibus civilibus, quæ nec *Diſſolvitur dubitandi*
eorum ſtatui, nec ſacris Canonibus adverſantur, ſed ab omni- *ratio.*
bus ſine ulla incidentia, aut iniquo gravamine poſſunt obſervari, ut conſtat *ex c. quis autem 10. d. c. magnum 11. q. 1.* & ex epiſtola Valentiniani ad Epiſcopos Aſiæ, quam refert Theodor. *l. 4. hiſtoriæ c.* 8. ubi ait Epiſcopos ſolum Dei, & Regis legibus obtemperare: probant Bellarm. *l. 1. de clericis, c.* 28. Victoria *in relect. 2. de poteſt. Eccleſiæ, q. ult. n.* 4. Molina *de juſtitia 1. t. diſp. 77. art.* 1. Suarez *de legib. l. 3. q. 84. per totam*, Salas *eod. tr. q. 96. tr. 14. ſect. 8. n.* 94. & in eleganti ſpecie Vaſq. *in 1. 2. D. Thomæ, to. 2. diſp. 167. c.* 3. & pro conſtanti ſupponit Guttier. *1. p. c. 16. n.* 73. & ita nova pragmatica, qua cavetur, ut cenſus antea impoſiti ad rationem de viginti milliaribus pro uno milliari, eleventur ad rationem de triginta milliaribus pro uno ſolvendo, teneri Eccleſias, Eccleſiaſticaſque perſonas, probat Aravio *tr. 2. de ſtatu civili, q. 14. morali, per tot.* ſed in modo, quo obligantur Eccleſiaſtici his legibus, non conſentiunt DD. alii enim exiſtimant Clericos nullo modo directe legibus ſæcularibus obligari, ſed ſolum vi naturalis rationis, quæ in eo conſiſtat, quod cum Clerici ſint membra reipublicæ civilis, naturali ratione obligantur ad ea obſervanda, quæ ad quietem, & bonum reipublicæ regimen conducunt, ut notat Suar. *l. 3. de legib. c. 34. n.* 7. atque uniformis legum obſervantia tam in Clericis, quam in laicis ad rectum reipublicæ regimen eſt neceſſaria, ut probat Vaſq. *ubi proxime*; quo fit, Clericos ad earum legum obſervantiam non teneri ex vi præcepti, ſed ut pax reipublicæ ſervetur, ut concludunt Azor *t. 1. inſtitutionum, l. 1. c. 12. q. 3. & 2. t. l. 9. c. 7. q.* 8. alii congeſti a P. Salas *de legib. q. 96. tr. 14. diſp. 14. ſect. 8. n.* 101. qui inde deducunt rationem, propter quam Judex ſæcularis non poteſt exequi pœnam lege Civili ſtatutam adverſus perſonas Eccleſiaſticas. Sed hæc ſententia ex eo diſplicet, nam quod dicitur, partem corporis politici debere cum aliis membris ſe conformare, verum eſt, ſi in omnibus par ratio vigeat; tunc enim ratio naturalis in pari cauſſa paria jura deſiderat, argumento text. *in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* ceterum Clerici ſunt membra alterius rationis, ſeu conditionis, in quibus illa uniformitas non videtur eſſe neceſſaria: quemadmodum enim nobiles propter uniformitatem non tenentur obſervare leges, a quibus propter nobilitatis privilegia exempti ſunt; ita etiam Clerici ex vi ſolius rationis naturalis propter ſervandam uniformitatem ad obſervantiam legum civilium obſtringi non debent, eo maxime, qui a politica juriſdictione exempti ſint; deinde quia ſi clericus ex vi præcepti non teneretur, ſed ſolum propter uniformitatem, ad harum legum obſervantiam, earum tranſgreſſio non induceret peccatum mortale, ſecluſo ſcandalo, ut probat Suarez *l. 3. de legib. c. 34. n.* 8. quod tamen aperte falſum eſt, ut conſtat ex his, quæ tradit Medina *in 1. 2. q. 96. art.* 5. Salas *de legib. q. 96. tr. 14. diſp. 14.*

ſeƐt. 8. *n.* 29. Quare verior videtur ſententia exiſtimantium, leges politicas juſtas, etiam quod attinet ad Eccleſiaſticas perſonas, vim directivam habere, ut docent Bartolus *in l. cunctos, C. de ſumma Trinit.* Panorm. *in c. Eccleſia, n.* 13. *hoc tit.* Rebuff. *in proœmio regul. gl.* 1. *n.* 55. Valaſcus *conſult.* 100. & ita eis ligari Clericos vi directiva, non vero coactiva, dummodo non tendant in præjudicium libertatis Eccleſiaſticæ, docuerunt Salgado *de proteſt. Regia p.* 1. *c.* 1. *n.* 66. Solorzanus *l.* 3. *de jure Indiarum, c.* 27. *n.* 33. Monteſin. *in* 2. *p. D. Thomæ, diſp.* 13. *q.* 1. *difficult.* 4. *n.* 201. Salcedo *de lege polit. l.* 1. *c.* 4. *n.* 18. Pereyra *de manu Regia p.* 2. *tit.* 1. 38. *n.* 31. Vaſq. *in* 1. 2. *diſp.* 176. *c.* 4. Suarez *de legib. l.* 3. *c.* 34. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *de legib. c.* 13. *n.* 4. Guttierez *l.* 4. *pract. qu.* 38. Ferro Manrique *p.* 1. *q. moral. q.* 11. *n.* 10. Thom. Benus *de Parlamentis dub.* 30. *ſect. n.* 2. Ciarlinius *l.* 1. *controv. for. c.* 31. *n.* 11. Catellus *de priſca Eccleſiæ libertate, p.* 5. *tr.* 1. *reſ.* 6. Quomodo accipiendi ſunt textus *in l.* 52. & 54. *tit.* 6. *partita* 1. lex 3. & 14. *tit.* 13. *partita* 2. lex *tit.* 25. *l.* 5. *recopil.* ubi Azevedo. Sed unde legibus civilibus proveniat hæc vis directiva, non ſatis liquet: mihi valde placet ſententia Decii *in c. Eccleſia, n.* 27. *de conſt.* exiſtimantis ideo Clericos ad harum legum obſervantiam teneri, quia cum ſint utiles Reipublicæ, & ad ejus quietem, & tranquillitatem conveniant, & ſtatum Clericalem non dedeceant, per ſacros Canones approbantur, *c.* 1. *de novi operis nunt.* ubi ſine nova extenſione, aut approbatione caſus, de quo ibi, juxta legis civilis diſpoſitionem deciditur; atque ita pro conſtanti habetur, tales leges juſtas eſſe eo ipſo, quod non reprobantur, ac approbatas cenſeri; unde leges civiles hanc vim directivam in Clericos a poteſtate Principis ſæcularis eam proferentis non habent, ſed ab approbatione, quæ fit per ſacros Canones, ut notant cum Decio Mantica in *d. c. Eccleſia, n.* 23. & Petr. Greg. *ibi n.* 16. Fortunius Garzia *de ult. fine, illat.* 10. *princ. n.* 155. Rebuff. *in d. gl.* 1. *n.* 62. Suarez *de legib. l.* 3. *c.* 34. *n.* 13. Nec tunc obſtat præſens textus; nam tunc ſtatutum debet per Clericos obſervari, ſi immunitatem Eccleſiæ directe, aut indirecte non lædat, quia tunc præſumitur ab Eccleſia approbatum: at vero ſi tale ſtatutum repugnet ſacris Canonibus, aut reſpiciat bonum ſingulorum laicorum, Eccleſiaſticas perſonas, vel Eccleſiæ bona non ligat, ut defendit Suar. *l.* 3. *de legib. c.* 34. Unde cum ſtatuta, de quibus in præſenti, juri Pontificio repugnarent, & tantum ſingulorum civilium utilitatem reſpicerent, ideo invalida ſunt: ſtatutum enim Urbis Terviſinæ privabat Eccleſiam dominio ſuo, quod habebat in feudo, & cedebat in utilitatem cujuſvis civis. Similiter ſtatutum urbis Romæ privabat monaſterium rei litigioſæ poſſeſſione in pœnam alienationis, cujus ſtatuti effectus pertinet ad vim coactivam, qua Clerici non tenentur reſpectu ſtatutorum ſæcularium; unde recte docetur, tam in hoc textu, quam *in d. c. Eccleſia*, Clericos, vel Eccleſiaſtica bona non ligari prædictis ſtatutis. Nec primum argumentum ipſius difficultatis refragatur; nam licet Eccleſia poſſit, & debeat alienare bona ſua in pauperum alimoniam, *c. Apoſtolico, c. quiſquis*, cum aliis, 12. *q.* 2. non tamen licet laicis poſſidentibus illa bona ratione feudi propria auctoritate retinere, aut diſtrahere: nec etiam hoc reſpectu omnium pauperum generaliter procedit, ſed tantum reſpectu miſerabilium, qui non propria culpa, ſed caſu in egeſtatem inciderunt: unde cum ſtatutum urbis Terviſinæ concederet bona Eccleſiæ propria auctoritate diſtrahere, & generaliter ſine diſtinctione omnibus ad inopiam vergentibus permitteret feudi alienationem; ideo tale ſtatutum Eccleſiæ bona non obſtringit. Nec argumentum ſecundum refragatur; nam ſtatutum urbis Romæ, de quo *in d. c. Eccleſia*, non erat conſonum ſacris Canonibus, ſiquidem juxta eos tantum rei litigioſæ alienatio irritatur, *c. finali, ut lite pendente*: non vero poſſeſſor poſſeſſione privatur, & in alium transfertur, quod prædicto ſtatuto cavebatur; ideoque invalidum ab Innoc. declaratum fuit. Nec tamen obſtat ſecunda difficultas: nam ſtatutum in utilitatem Eccleſiæ a laicis factum, quantumvis favorabile videatur, revera non eſt. Eo enim ipſo quod prohibet, vel præcipit Clericis aliquid in particulari, ſupponit juriſdictionem in ipſos, quam ſtatuentes non habent; unde uſurpando juriſdictionem, magis nocent Eccleſiæ, quam illi favent. Nec argumentum a conceſſione privilegii deductum obſtat; nam aliud jus conſideratur in ſtatuto laicorum, aliud in privilegio ab eis conceſſo; ſiquidem privilegii conceſſio non eſt actus juriſdictionis, ſed liberalitas, quæ exerceri poteſt in non ſubditum; atque ita privilegium a Principe ſæculari Eccleſiæ, Eccleſiaſticiſque perſonis concedi poteſt: docet Suarez adverſus Regem Angliæ *l.* 4. *c.* 16. *n.* 9.

13 Expenditur c. cum cauſa de re judic. Sed ſupra traditæ aſſertioni obſtat textus *in c. cum cauſa* 8. *de re judicata*, ubi refertur, litem diſceptatam fuiſſe inter quoſdam cives urbis Veronenſis, & Clericos S. Anaſtaſiæ, adverſus quos laici actione exempta agebant ob rem ſibi venditam ab Archipresbytero ipſorum Clericorum ſine Capituli conſenſu: qua conſuetudine attenta, Legatus Pontificis juxta eam ſententiam pronuntiavit, & laicis rem emptam adjudicavit; ſed Rom. Pontifex ſententiam ipſam caſſavit, ac nullam declaravit, quia juxta conſuetudinem prolata fuerat. Qui textus difficilis valde viſus eſt Interpretibus ex eo, quia licet Eccleſiaſtici, bonaque Eccleſiæ ſtatutis laicorum non ligentur, tamen conſuetudines laicorum, etiam in cauſſis Eccleſiaſticis attenduntur, *c. conſtitutus, de in integrum reſtit. c. cum veniſſent, de eo qui mittit. in poſſeſſ. c. ad noſtram* 12. *de prob.* probant Felician. & Vega *in clericis* 9. *de for. compet.* Marinis *l.* 1. *reſolutionum, c.* 55. Pro cujus difficultatis ſolutione communiter repetentes affirmant, diſtinguendum eſſe inter conſuetudines contrarias ſacris Canonibus, & illis conſonas, & priores ab Eccleſiaſticis ſervandas non eſſe, poſteriores vero eſſe attendendas etiam in cauſſis eccleſiaſticis, quia ſicut ſtatuta laicorum immunitati Eccleſiaſticæ contraria non ſuſtinentur, ita nec conſuetudines. Verum hac omiſſa ſolutione, verius dicendum eſt, conſuetudinem legitime præſcriptam etiam in cauſſis Eccleſiaſticis procedere; at vero *in diſt. cap. cum contra* 8. conſuetudo non erat legitime præſcripta, & ideo juxta eam ſententia proferri non potuit; ut in ejus commentario latius dicemus.

14 Explicatur c. de capitulis, d. 10. Deinde ſupra traditæ aſſertioni obſtat text. *in c. de capitulis*, 10. *diſt.* ubi Leo IV. Lothario Galliarum Regi ita ſcribit, *De capitulis, vel præceptis Imperialibus veſtris, veſtrorumque Pontificum prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis, & conſervandis, quantum valuimus, & valemus, Chriſto propitio, & nunc, & in futurum modis omnibus profitemur.* Ex quibus verbis expreſſe deducitur, leges ſæculares, & capitula ſtatutorum ſæcularium ligare Eccleſiaſticas perſonas. Pro cujus textus expoſitione ſciendum eſt, Reges Galliæ non ſolum ſacrorum Canonum cuſtodiam omnibus injunxiſſe, ut conſtat ex edicto Clotarii I. anno 615. ibi: *Definitionis noſtræ eſt, ut canonum ſtatuta in omnibus conſerventur, & quod per tempora ex hoc prætermiſſum, vel dehinc perpetualiter obſervetur*; verum etiam ipſos Canones ſuis capitularibus inſeruiſſe, ut conſtat ex capitulari Aquiſgranenſi anni 789. quod capitulare poſtea Lotharius filius Ludovici Pii in conſtitutionem ſuam retulit, quæ dicitur capitulare Lotharii: & in edicto a Goldaſto ita legitur: *Placuit nobis, ut hæc capitula, quæ excerpſimus de capitulis ſanctæ mem. avi noſtri Caroli, ac D. N. Ludovici Imperatoris, ab omnibus S. Dei Eccleſiæ, ſeu noſtris fidelibus in Regno Italiæ conſiſtentibus pro lege teneantur, & conſerventur, & quicumque hujus capitularis contemptor extiterit, ſexaginta ſolidos componat, ſicut in capitulis prædicti avi Domini noſtri.* Quod capitulare ſe obſervaturum pollicetur Leo *in diſt. cap. de capitulis*, & etiam PP. Synodi Meldenſis *can.* 78. ita ſtatuerunt; *Ut capitula Eccleſiaſtica a D. Carolo Magno Imperatore, necnon & a D. Ludovico Pio Auguſto promulgata, obnixe obſervari præcipiantur: ſicut & legalia obſervanda eſſe noſcuntur.* Retulerunt Baron. *tomo* 19. *anno* 847. Marcha *lib.* 2. *concord. Sacerd. & Imp. cap.* 12. nam cum prædicta capitularia facta eſſent cum auctoritate, & conſenſu Epiſcoporum ad faciliorem exequutionem ſacrorum Canonum, recte Leo IV. *in diſt. cap. de capitulis*, & PP. in dicto Concilio Meldenſi ſtatuant capitula Ludovici, & Caroli ſervanda eſſe; notavit Binius *ad d. Concil. Meld.* & docuit P. Marcha *l.* 2. *concord. c.* 12. *n.* 5.

15 Expenditur can. 1. ſyn. c. Tertio ſupradictæ aſſertioni obſtat text. *in can.* 1. *Synodi CP.* ubi Imperatoris conſtitutio approbatur, qua permittitur patronis laicis ſtatuta condere, ita ut pro ſuo arbitrio bona Eccleſiarum adminiſtrentur: igitur quia ſtatuta facta circa Eccleſiarum bona a laicis, valida & firma ſunt, vireſque obtinent. Cui difficultati poſt Balſamonem ad illum textum ſatisfacit Ciron. *in apparatu ad hunc tit.* aſſerens Canonem illum procedere caſu illo, in quo Eccleſiarum patroni tempore constructionis, & erectionis Eccleſiæ ſibi reſervarunt jus diſponendi de rebus ab ipſis Eccleſiæ collatis; nam ſicut olim patroni plerumque ſibi reſervare ſolebant jus præſentandi capellanos in eadem Eccleſia, Innoc. III. *l.* 3. *regiſt.* 14. *ep.* 194. ita, & jus ſtatuendi, ſeu diſponendi de rebus ipſis Eccleſiæ donatis; quo caſu dum ſecundum jus commune, & ſacr. Canones diſponerent, eorum ſtatuta circa Eccleſiæ bona facta valere merito docetur *in dict. can.* 1.

16 Intelligitur c. fin. de vita & hon. cler. Tandem ſupradictæ aſſertioni obſtat textus *in cap. fin. de vita, & honeſt. cleric.* in illis verbis: *Gaudere volentes privilegio clericali, nolunt ſtatutis patriæ (quibus quoties expedit, ſicut laici ſe tuentur) in negotiationum ſuarum quæſtibus ſubjacere.* Quibus in verbis Honorius III. indignum judicat, ut Clerici utentes ſtatutis laicorum, & ſecundum ea negotium gerentes, nolint etiam ſecundum ea conveniri, & judicari: igitur quia Clerici ſtatutis laicorum ligantur. Pro cujus difficultatis ſolutione dicendum eſt, Clericum negotiatorem ligari ſtatutis laicorum circa ipſa negotia factis; cum iniquum eſſet negotiando eorum commodum percipere, & damnum reſpuere: non tamen ut ea obſervent, poſſunt conveniri coram judice ſæculari, niſi præceſſerit trina monitio: tunc vero poſt trinam monitionem Clerici negotiis ſæcularium ſe immiſcentes, privantur fori privilegio, ut pro ipſius textus expoſitione docuerunt Boetius Epon. *ibi*, D. Joſephus Vela *t.* 2. *diſ.* 45. *n.* 53. Præſens autem concluſio procedit in Eccleſiaſticis negotiationi ſæculari non deditis, qui non ligantur ſtatutis laicorum.

CAPUT

C A P U T VIII.

a Idem.

CUm acceſſiſſent ad Apoſt. Sedem Archidiaconus *b* Tullenſis, & G. Tullenſis, & G. Tullenſis Capituli procurator, Archidiaconus propoſuit memoratus, quod cum olim quidam Canonici Tullenſes noſtris auribus intimaſſent, quod *c* Primiceriatus in Tullenſi Eccleſia tanto tempore *d* vacaviſſet, quod ad noſtras manus illius perſonatus eſſet donatio devoluta, dilectis filiis Altæſylvæ, & Belliprati *e* Abbatibus Ciſtercienſis Ordinis dedimus in mandatis, ut ſuper hoc inquirerent veritatem; & ſi perſonatum illum tanto tempore vacaviſſe conſtaret, quod juxta Lateran. ſtatuta *f* Concilii, ad nos ipſius eſſet donatio *g* devoluta, ipſi perſonam idoneam de Tullenſi *h* Eccleſia, vel aliunde, in ipſo perſonatu *i* inſtituerent vice noſtra, & eumdem facerent ab illa pacifice *j* poſſideri. Fuit inſuper ex parte Capit. allegatum, quod de communi aſſenſu Canonicorum Tullenſium fuerit *k* conſtitutum, ne Primiceriatus dignitas eſſet ulterius memorata, inter Canonicos ipſos Primiceriatus proventibus, & poſſeſſionibus diſtributis. Et eadem conſtitutio a bonæ memoriæ Alexandro Papa prædeceſſore noſtro fuit poſtmodum confirmata. Propter quod evidenter apparet, quod Primiceriatus ipſe tanto tempore non vacaverit, ſicut nobis fuerat falſa inſinuatione ſuggeſtum. Quocirca mandamus, quatenus ſi conſtiterit Tullenſes Canonicos, ne ulterius in Tullenſi Eccleſia Primiceriatus eſſet Officium, communiter ſtatuiſſe, ac ſtatutum illud auctoritate Sedis Apoſtolicæ fuiſſe poſtmodum, ſicut dicitur, confirmatum, vos illud faciatis in ſuo robore permanere, niſi poſtea dicti Canonici *l* contravenerint, aliquem videlicet in Primicerium eligendo.

N O T Æ.

1 Species textus refertur. a IDem.) Integram litteram hujus textus reſtituo ex tertia collectione, ubi ſub hoc tit. *c.* 4. extat, & apud Illuſt. Manrique *to.* 4. *annalium Ciſterc. anno* 1216. *c.* 3. licet nullibi exprimatur Prælatus, cui reſcribit in præſenti Innoc. Caſus autem ita contigit: Decreverant Canonici Tullenſes dignitatem Primiceriatus in ſua Eccleſia ſupprimere, quam ſuppreſſionem auctoritate Alexandri III. confirmaverant. Hinc Primicerio defuncto nullus ſuffectus in ejus locum fuerat: & niſi ſuppreſſio vires obtineret, jus eligendi per lapſum temporis ad ſummum Pontificem devolvebatur: adfuerunt quidam Canonici ex ipſa Eccleſia, qui dignitatem ſuppreſſam impetrarant, ſuppreſſionem ipſam celantes. Innocent. III. nollens Canonicis Tullenſibus præjudicare, ſed nec ſuæ Sedis juri cedere, duos Ciſtercienſis Ordinis Abbates miſit, Altæſylvæ nimirum, & Belliprati, qui de vacante, & vacantiæ tempore inquirerent, nec ut referrent tantum, verum ut ipſi procederent etiam ad Primicerii pro ſuo arbitrio inſtitutionem. Adfuerunt Abbates, & dum lapſum temporis cognoverunt, & ſimul ſuppreſſionem ipſius dignitatis, omnia Innocentio III. retulerunt, qui in præſenti reſcribit, quod ſi verum eſt ſtatuto Eccleſiæ ſuppreſſam eſſe eam dignitatem, tale ſtatutum omnino ſervetur.

2 Tullum ubi. b *Tullenſi.*) Tullum Leucorum Civitas eſt, in Provincia Treverenſi, in Gallia Belgica, ut referunt Fratres Sarmathani *to.* 3. *Galliæ Chriſt. fol.* 1094. & notavit Boſquet. *ad Innoc. III. l.* 1. *ep.* 45. Habet Eccleſiam Cathedralem Div. Stephano dicatam, cujus mentio fit in *c. dilectus, de officio delegati, c. in noſtra, de Procurat. c. ex litteris* 31. *de jurejur.*

3 c *Primiceriatus.*) De dignitate, & officio Primicerii latius agemus *in c. unico de officio Primicerii.*

4 d *Vacaviſſet.*) Ideſt, per annum, & dimidium; nam Capitulo negligente in collatione præbendæ, ſeu dignitatis, jus conferendi eam devolvitur ab Epiſcopum, *c.* 2. *de conceſſ. præbend.* & Epiſcopo per alios ſex menſes in collatione ceſſante, ad Archiepiſcopum devolvitur collatio, *d. c.* 2. *c. poſtulaſti, eodem tit.* Demum negligente Archiepiſcopo, Romanus Pontifex conferre debet præbendam. Barboſa *l.* 3. *jur. Eccl. c.* 13. *n.* 111. latius dicemus infra *in c.* 3. *de ſuppl. neglig.*

5 e *Abbatibus.*) Sunt hæc duo monaſteria Ordinis Ciſtercienſis, primum dictum Altæſylvæ, in Diœceſi Tullenſi, cujus mentio fit *in c. cum Bertholdus, de re jud.* de quo agit Manrique *annal. Ciſterc. an.* 1140. *c.* 11. *n.* 6. Aliud dictum Belliprati eſt etiam in Gallia, de quo Claudius Robertus *in ſua Gallia*, ait: *Bellumpratum Ciſtercienſis Ordinis, Tullenſis diœceſis, fundatum an.* 1134. *tertio Kalend. Martii, a Simone Lotharingiæ Duce.* Plura de eo Manrique *d. anno* 1134. *c.* 8. *nu.* 6. Fratres Sarmathani *t.* 4. *Galliæ Chriſt. verb. Bellumpratum.*

6 f *Concilii.*) *cap.* 8. quod extat *in cap. nulla* 2. *de conceſſ. præb.*

7 g *Devoluta.*) *c. licet, de ſuppl.* ibi: *Donatio devoluta.* Collatio enim beneficii, aut præbendæ dicitur donatio, *c. eam te* 7. *de reſcript. c. propoſuit, c. quia diverſitatem, c. penult. de conceſſ. præb. c. finali, de officio Vicarii in* 6. non quia libere cui voluerit, collator poteſt conferre; debet enim digniorem eligere, *c. grave, de præb.* ſed quia ſine ulla mercede, aut pretio debet conferre.

h *Eccleſia.*) Poteſt enim Canonicus ſimiliter in eadem Eccleſia habere dignitatem, quia licet prohibitum ſit ſub eodem tecto habere duos Canonicatus, aut dignitates, *c. de multa, de præb. Clem. ult. eod. tit. c. litteras* 9. *de conceſſ. præb. c.* 1. *de conſuet. in* 6. Quintannadvennas *Eccleſiaſt. c.* 2. dicemus *in d. c. de multa.* Attamen duo beneficia difformia, ut ſunt Dignitas cum Canonicatu, vel cum Perſonatu; beneficium curatum cum ſimplici, vel cum capellania, etiam ſub eodem tecto obtineri poſſunt, *c. ſuper eo* 8. *de præb.* quia non ſunt incompatibilia. Gonzal. *in reg.* 8. *Cancell. gl.* 10. *nu.* 41. Lara *de capel. l.* 2. *c.* 7. *n.* 17. Genuenſ. *in praxi, c.* 64. *n.* 5. 8

i *Inſtituerent.*) Ideſt illum conferrent: verbum enim, *inſtituo*, generale eſt: aliquando ſignificat facultatem conferendi, tam jure proprio, quam alieno, ex delegatione, aut privilegio, ut in noſtro textu, & in *c. ex tua, de fil. Presbyter. c.* 2. *c. ad decorem, de inſtit.* aliquando pro poſſeſſione collata ipſius præbendæ accipitur, *c. viſis* 16. *q.* 2. 9

j *Poſſideri.*) Ideſt, ut poſſeſſione obtenta per inveſtituram, *c. ad hæc, c. ut noſtrum, de offic. Archid.* facerent pacifice conſervari. 10

k *Conſtitutum.*) An Canonici ſimile ſtatutum facere poſſint, dicemus *in c. ex parte, hoc tit.* 11

l *Niſi poſtea d. Canonici contravenerint.*) Aliquem videlicet in Primicerium eligendo. Ex his verbis communiter deducunt Interpretes, privilegium amitti per non uſum etiam uno actu: quod, & probari videtur *ex l.* 2. *l. fin. ff. de veteran. l.* 2. *l. ſemper, §. final. ff. de jure immunit. l.* 2. *§. final. ff. de Decur. l.* 2. *C. de tabul. l.* 1. *C. qui ſponte publ. munera, l.* 3. *C. de Decur. l.* 10. *l.* 2. *C. de jure dominii, c. pro illorum* 22. *de præb. c. ſi de terra, c. accedentibus, de priv.* Cum enim Canonici poſſint omittere Primiceriatus collationem, & non fecerint, videntur ſuo privilegio renuntiaſſe, *l. Campanus* 47. *ff. de operis libert. l. ſi quis delegaverit* 12. *ff. de novat. l.* 4. *C. de pactis inter, l. ad ſolutionem* 5. *C. de re judicat.* quia nihil intereſt, voluntatem quis declaret verbis, aut factis, imo plus facto oſtenditur, *l. ſi tamen* 48. *§. ei qui, de ædilitio edict.* Docent Ant. de Burg. *in præſenti*, Azor. 2. *p. inſt. l.* 6. *c.* 30. *q.* 10. Bartol. Platea, Lucas de Penna *in d. l.* 1. *C. qui ſponte*, Suar. *de legib. l.* 8. *c.* 35. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 26. *n.* 5. & in præſenti *n.* 6. Garzia *de nobilit. gl.* 6. *n.* 33. alii apud Amaym *in d. l.* 4. Sed contrariæ ſententiæ, videlicet privilegium non amitti unico actu in contrarium habito, non deſunt fundamenta: facit enim text. *in l. voluntarie* 12. *C. de excuſ. tutor.* ubi non opponens excuſationem a tutelis, non ex eo privilegium amittit, quod ſponte ſemel tutelam ſuſceperit. Facit etiam lex *creditore* 7. *C. de uſur.* & expreſſe probatur *in l.* 2. & 3. *C. qui ſponte, l.* 10. Docent Bobadilla *l.* 5. *polit. c.* 10. *n.* 12. Fontanel *de pact. nupt. clauſ.* 3. *gl.* 2. *n.* 18. Sed hanc quæſtionem examinabimus latius *in d. c. ſi de terra*: nunc pro præſentis textus interpretatione, omiſſo Amaya ubi ſupra, *n.* 27. dicendum eſt, in noſtro textu non agi de ullo privilegio, ſed de ſtatuto a Canonicis Eccleſiæ Tullenſis facto, ne amplius Primiceriatus dignitas eſſet in ea Eccleſia; quod ſtatutum irritare poterant ipſi per contrarium actum, cum in eorum favorem tantum confirmatum eſſet, & ipſi Primiceriatim conferendo, illud reducerent ad jus commune; unde cum quælibet res de facili redeat ad ſui naturam, ut diximus *in c. cum omnes, hoc tit.* ideo per contraventionem Canonicorum Primiceriatus dignitas potuit inſtaurari. Dicemus *in c.* 1. *de confirm. util.* 12

C A P U T IX.

Idem a *Clugienſi Epiſcopo.*

CUm M. *b* Ferrarienſis Canonicus, F. Presbyteri, B. & B. & G. Canonicorum Ferrarienſium, & Magiſter G. Ferrarienſis Cap. procuratores ad Sed. Apoſtolicam acceſſiſſent ſuper quæſtione, quam de præbendis, & reditibus habebant adinvicem, dilectum filium noſtrum N. ſanctæ Mariæ in *c* Coſmedin Diaconum Card. eis dedimus auditorem: coram quo dict. M. pro ſe, & quatuor ſociis ſuis propoſuit, quod Ferrarienſes Canonici, ut eo amplius ſuos

reditus augmentarent, quo proventus Ferrarienſis Eccleſiæ, qui dividi conſueverant inter plures, in uſus cederent paucorum; quatuordecim præbendas tantum, præter id quod menſæ communiter deputarunt, in eadem Eccleſia contra antiquam conſuetudinem ſtatuere. Poſtmodum vero contra conſtitutionem ipſam voluntarie venientes, dictos quinque in Canonicos recepere, nullis præbendis aſſignatis eiſdem. Et licet eorum reditus non modicum fuerint augmentati, nondum tamen eis voluere ex ſupercreſcentibus reditibus providere. Verum dictus Magiſter G. procurator partis adverſæ aſſeruit, quod id olim de communi, tam Canonicorum, quam tunc Ferrarienſis Epiſcopi conſilio provida fuerat deliberatione ſtatutum, & Apoſtolicæ protectionis præſidio roboratum. Tandem vero cum una in eadem Eccleſia vacaſſet præbenda, ad multam quorumdam inſtantiam duos ad eam; ac poſtmodum ad preces venerabilis Fratris noſtri V. Ferrarienſis Epiſcopi, dictum M. & quemdam alium ſine præjudicio dictæ conſtitutionis in Canonicos recepere: ita quod ipſi de Canonia nihil perciperent, donec primi duo præbendas eſſent integre aſſequuti. Cumque per Canonicorum induſtriam procuratum fuerit, ut ex poſſeſſionibus, quas eadem Eccleſia tempore longo poſſedit, plures ei reditus ſolverentur, ſuperexcreſcentes reditus communi menſæ, quæ minus ſufficiens fuerat, communiter deputavere, quos dicti quinque poſtmodum petiere contra Capituli conſtitutionem in beneficium aſſignari. Quia vero ſuper his plena nobis, ſicut idem Cardinalis aſſeruit, exhiberi non poterat certitudo, cauſſam ipſam tuo duximus examini committendam: mandantes, quatenus cum in conſtit. præd. & confirmatione Sedis Apoſtol. vel fuerit, vel eſſe debuerit (ſicut conſuevit) expreſſum, niſi in tantum excreſcerent Eccleſiæ facultates, quod pluribus poſſint ſufficere competenter: & cum iidem Canonici in derogationem ſuæ conſtitut. ad vacaturas præbendas quatuor recepere, ultra numerum conſtitutum, antiquis Canonicis præbendas cum integritate percipientibus conſuetas, ſuperexcreſcentes reditus prædictis Canonicis, appellatione remota facias aſſignari: ita tamen, quod ſi eis pares cum aliis potuerint ſortiri præbendas, quod ſuperfuerit, in communes Canonicorum uſus, ſive ut prius ſtatuerant, ſive aliter, prout melius videbitur, convertantur: revocans in irritum omnia, quæcumque ab alterutra partium in præjudicium alterius poſt motam quæſtionem coram Epiſcopo Ferrarienſi, circa præbendas, vel poſſeſſiones fuerint innovata. Nullis litteris obſtantibus, præter aſſenſum partium, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, 12. Kal. Maji.

N O T Æ.

1 a *Clugienſi.*) In tertia collectione ſub hoc titulo *c.* 4. legitur Flugienſi; ſed inſcriptionem, & litteram reſtituo ex ipſo Regeſto Epiſtolar. Innocentii edito Coloniæ, & correcto a Cardinali Sirleto, ubi *pag.* 48. reperitur textus hic. Clugium, ſive Clugia, eſt Civitas Venetorum, in quam translata fuit Cathedra Epiſcopalis anno 1100. a Civitate Malamoceo, Sede Ducum Venetorum, propter maris inundationem, ut refert Samſonius *in hiſtoria Venetorum*, & ex eo tradit Cironius *in c.* 3. *de clericor. conjug. in* 5. *compil.*

2 b *Ferrarienſis.*) Ferraria Civitas eſt Italiæ, ſupra Padum ſita, cujus conditores refert Ughellius *t.* 2. *Italiæ ſacræ*, *fol.* 540. Faſces olim Imperatoris CP. Longobardor. Caroli Magni, & Othonis venerata eſt. Quandoque Venetis tamquam potentioribus paruit: habet Eccleſiam cathedralem ab anno 657. ſuffraganea Archiep. Ravennat. & adhuc in ea floret ſtudium a Feder. II. Imperatore illic invectum. Late de ea egerunt ultra congeſtos ab Vighellio *ubi ſup.* Carol. Sigon. *l.* 2. *de Regno Italiæ*, Coronel. *in notis ad Congor. to.* 3. *fol.* 307. De præbendis ipſius Eccleſiæ in hoc textu agitur, & de Ugone, ſive Uguccio, qui in ea præfuit ex anno 1196. uſque ad annum 1212.

c *In Coſmedin.*) Sunt varii tituli Diaconorum Cardin. quos referunt Germon. *de indultis Card.* Cohelius *in notis Card. c.* 7. 3
inter quos refertur præſens titulus in Eccleſia S. Mariæ in Coſmedin, ut tradunt Cohelius *ſupra, c.* 6. Germonius *ubi proxime*, §. *tituli n.* 10. Ciaconius *in hiſt. Cardinalium hujus tituli, Eccleſia S. Mariæ in Coſmedin*; fertur enim ſecundam Eccleſiam eſſe B. Virgini Mariæ in Urbe dicatam: appellatur etiam Eccleſia S. Mariæ Scholæ Grecæ, quia in ea lingua Græca docebatur; vocatur etiam S. Mariæ Oris Veritatis, ex eo quia in ore Eccleſiæ erat altare, ubi aliquo crimine infamati, purgabantur præſtito juramento. Dicitur vulgo *in Coſmedin*, quæ vox Græca eſt, apud nos idem ſignificans ac ornamentum, ex eo quia Adrianus Pontifex eam variis ornamentis ditavit, ut refert P. Martyr *in ſua Roma*, *fol.* 151. Hujus textus commentarium dabimus infra *in cap.* 12. *hoc titulo.*

C A P U T X.

Idem *Abbati*, *&* *Conventui Sancti a Silveſtri.*

Ecleſia Sanctæ Mariæ in Via *b* Lata contra I. de Alteja, qui quaſdam poſſeſſiones ipſius dicebatur contra juſtitiam detinere, movit tempore B. Coroſonei dicti *c* Senatoris ſub L. judice quæſtionem. In ipſo autem judicio præfato I. de Alteja ſyndico *d* monaſterii veſtri aſtitit, & ab eo teſtes producti quidam de monachis *e* extiterunt. Judex vero auditis rationibus partium, pro eodem Joanne abſolutionis ſententiam promulgavit: a cujus ſententia pars altera vocem appellationis emiſit. Super hæc igitur quæſtione ſuborta, proponente parte victrice, quod non potuerit appellari, cum dictus L. non ut judex, ſed tamquam arbiter fuiſſet *f* electus: victa e contrario aſſerente, quoniam cum arbitrio fuerit contradictum, quod partes nonniſi metu pœnæ conſtringit, quæ in præmiſſo arbitrio non fuerat comprehenſa, merito potuit appellari, & fortius ſi judicium extitiſſet. De hoc igitur ad jam dictum B. Coroſoneum quæſtione perlata, cauſſam appellationis S. *g* Primicerio judicum delegavit: in cujus præſentia partibus conſtitutis, dictus I. de Alteja propoſuit ſe conveniendum non eſſe, cum non poſſideret id quod pars altera requirebat; ſed monaſterium Sancti Sylveſtri poſſidens rem petitam. Dictus autem B. Coroſoneus quoniam *h* ſtatutum quoddam emiſerat, a populo Romano approbatum pariter, & acceptum; quod ſi quis poſt litem conteſtatam rem a ſe petitam transferret in alium, daretur poſſeſſio petitori, & alter fieret de poſſeſſore petitor; & idem I. poſt litem conteſtatam rem ipſam in monaſterium transferre præſumpſit, poſſeſſionem rei petitæ aſſignavit Eccleſiæ memoratæ. Verum quoniam dictus I. de poſſeſſionibus ipſis monaſterio S. Sylveſtri annuam reddiderat penſionem, adjecit ut hoc ipſum ab Eccleſia S. Mariæ fieret, donec de proprietate fundi cognoſceretur: ſed ſolutio quæ fieret penſionis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Via Lata in jure ſuo penitus non noceret. Hanc autem poſſeſſionem Eccleſia ſanctæ Mariæ uſque ad tempora Joannis Petri Leonis, Senatoris Urbis inconcuſſe poſſedit: qui ſupplicatione monaſterii veſtri clementer admiſſa, R. judici cauſſam commiſit eamdem: qui auditis hinc inde propoſitis, pro monaſterio ipſo ſententiam promulgavit, revocans quod præfatus B. Coroſoneus ſtatuerat contra ipſum. Per quam ſane ſententiam, quoniam Eccleſia ſanctæ Mariæ ſe læſam enormiter querebatur, & ipſa Senatori ſupplicavit prædicto, qui cauſſam commiſit R. judici cognoſcendam. Et quoniam ejus juriſdictio erat in proximo deſitura, ſupplicatum fuit ob eamdem cauſam ſucceſſoribus ejus Senatoribus jam electis, & ab eis cauſſa ipſa eidem judici delegata. Judex vero ex veterum & novorum pariter Senatorum delegatione cognoſcens, quod a jam dicto B. ſtatutum fuerat, approbans, Eccleſiæ S. Mariæ poſſeſſionem reſtituit antedictam: & cum novem Conſiliarios haberet Senatus, per octo ipſorum exequutioni fuit ſententia demandata: ſed unus ex eis, qui, & nepos erat Abbatis S. Sylveſtri, quorumdam Senatorum favore ſuffultus, Eccleſiæ S. Mariæ poſſeſſionem violenter ablatam, monaſterio tribuit nominato. Ex hoc ergo rixa creſcente, uſque ad armorum ſtrepitum eſt proceſſum. Ne vero deterius quid contingeret bonæ mem. C. Papa prædeceſſor noſter totum negotium ad ſuam ſolicitudinem revocavit. Et quoniam tempus colligendorum fructuum imminebat, fructus præcepit apud colonos in ſequeſtro deponi: circa quos, ſi qua partium violentiam inferre præſumeret, cauſſæ ſuæ diſpendium pateretur. Venerabilibus Fratribus noſtris G. Portuenſi, & I. nunc Albanenſi, tunc vero Tuſculano Epiſcopis tituli S. Clementis; & dilecto filio noſtro G. S. Angeli Diacono Cardinali cauſſam committens eamdem. In quorum præſentia Patribus conſtitutis, pro Eccleſia S. Mariæ fuit contra monaſterium veſtrum objectum, quod violentiam pars veſtra commiſerat in fructibus ſequeſtrandis: & cum ſuper hoc teſtes fuiſſent utrinque producti, quia violentia liquido probata non fuit, in dimidio ruglo hordei dicebatur admiſſa. Abbate nihilominus prohibente ne delictum perſonæ redundaret in damnum Eccleſiæ, facta hordei reſtitutione proviſum eſt, ut ad quæſtionem poſſeſſionis fieret in cauſſa proceſſus: de qua coram eiſdem productis teſtibus, & atteſtationibus publicatis, fuit diutius diſceptatum. Conſequenter vero poſt deceſſum præfati prædeceſſoris noſtri, Patribus in noſtra præſentia conſtitutis, Eccleſia beatæ Mariæ poſſeſſionem, qua fuerat prætermiſſo juris ordine ſpoliata, ſibi reſtitui poſtulabat. Et quoniam alii Senatorum ſententiam pro monaſterio

alii latam pro Eccleſia proceſſu temporis confirmarant, nos quidquid ab eis factum fuit, poſtquam dictus prædeceſſor noſter ad curam ſuam idem negotium revocavit, de conſilio Fratrum noſtrorum irritum decrevimus, & inane. Cum ergo nobis conſtiterit, & ex ipſa confeſſione Partium tenuerimus, quod unus Conſiliariorum contra ſententiam de voluntate octo exequutioni mandatam, de facto; quia de jure non poterat, veniens, Eccleſiam ipſam poſſeſſione ſua ſpoliavit violenter; & nihilominus attendentes, quod etiam injuſto poſſeſſori violenter ejecto, reſtitutionis ſit beneficio ſuccurrendum, ſpoliatam Eccleſiam in eo ſtatu decrevimus reponendam in quo fuerat tempore violentiæ perpetratæ. Verum quoniam præfatam poſſeſſionem poſt reſtitutionem factam ab I. de Alteja, monaſterium alii locationis titulo aſſignarat, neque reſtituere poterat Eccleſiæ ſpoliatæ, loco illius tantumdem poſſeſſionum æquivalentium, ſecundum arbitrium dilectorum filiorum I. Tinenſi Capellani, & G. Hoſtiarii noſtrorum, eidem Eccleſiæ fecimus aſſignari: quæ, quoniam alii fuerant jure pignoris obligatæ, a creditoribus eas fecimus liberari, qui nobis inſtrumentum pignoris poſtea reſignarunt. Et quia ſæpedictum monaſterium veſtrum ſe querebatur a præmiſſo B. Coroſoneo contra juſtitiam ſpoliatum, & ipſum per officium noſtrum reſtitui ſuppliciter poſtulabat, quod ſtatutum ejus nullius valoris extiterit, multipliciter aſſeverans: ſæpedictus enim B. cum ſeipſum intruſerit in Senatoriam dignitatem, nec Apoſtolicæ Sedis favorem habuerit, ad quam inſtitutio pertinet Senatorum, ſtatutum non potuit emittere quod valeret: qui etiamſi fuiſſet legitime inſtitutus, ipſius ſtatutum, quamvis ſibi ſubjectos, Eccleſias tamen nullatenus obligaret; præſertim cum Juri Civili eſſet adverſum, quod aliam pœnam litigioſas res transferentibus ſtatuit imponendam. Illa diſtinctione inter contrahentes adhibita, ut ſi quis ſciens ad donationes, venditiones, ſeu alios contractus acceſſerit, non ſolum redimere rem compellatur, ſed etiam pretium ejus amittat, non ut lucro cedat alienantis, a quo etiam alia tanta quantitas eſt fiſci juribus inferenda: ſin autem ignorans rem litigioſam emerit, vel per aliam ſpeciem contractus acceperit, tunc alienatione rei facta irrita, pretium ejus cum alia tertia parte recipiet, inſtrumentis etiam nullam vim obtinentibus, quæ ſuper contractibus hujuſmodi ſtatuuntur. Verum eos, qui dotis nomine, vel ante nuptias donationis, tranſactionis, vel diviſionis rerum hæreditariarum factæ, vel per legati, vel fideicommiſſi cauſſam hujuſmodi dederint, vel acceperint, a præmiſſis pœnis eadem conſtitutio excipit nominatim. Quod ſi etiam obligare poſſet Eccleſias, monaſterium in illam conſtitutionem nequaquam inciderat; cum antedictus I. nullam in aliud penitus poſſeſſionem tranſtuliſſet, qui tamquam colonus terras illas tenuerat, & eas non ſuo, ſed ipſius monaſterii nomine poſſidebat: quod etiamſi feciſſet, quoniam prius conventus a monaſterio, quam ab Eccleſia fuerat, & per arbitrium, & nihilominus jure tranſactionis, per quam citra pœnam litigioſi contractus, res poteſt in alium lite conteſtata transferri, res reſtituit antedictas, in ſtatutum præmiſſum nullatenus incidiſſet; quin potius, etſi contra illud feciſſet ſtatutum, quoniam nec conventum, nec confeſſum in judico, vel convictum poſſeſſione ſua monaſterium fuerat ſpoliatum, inſtanter eam ſibi reſtitui poſtulabat, quam ex nulla, vel ſaltem injuſta cauſſa pars altera detinebat. Has autem rationes œconomus S. Mariæ nitebatur multifariam infirmare. Quamvis enim dictus B. circa prælationis ſuæ primordia gratiam Sedis Apoſtolicæ non habuerit: quia tamen ab ea fuit tempore procedente receptus, & ratihabitio retrotrahitur, perinde habendus erat, tamquam ab initio fuerit inſtitutus: qui tamquam alienus judex non poterat a monaſterio evitari, cum nec novum ſit, nec inſolitum, quod ubi Clerici ſunt actor, & reus, cauſſas civiles in Urbe coram judicibus per Sedem Apoſtolicam inſtitutis, ex delegatione Senatorum ab ea juriſdictionem habentium proſequantur. Unde nec in alieno foro intelliguntur, ſed in proprio Romani Pontificis litigare, cujus auctoritate ſortiri videntur effectum quæ ab hujuſmodi Senatoribus, vel Judicibus ſtatuuntur. Quod ſi forum Senatorium fuiſſet monaſterio penitus alienum, quia tamen œconomus dicti monaſterii ſub L. judice a præfato B. inter Eccleſiam S. Mariæ, & dictum I. de Alteja delegato, ipſi I. aſtitit, & eum in jure defendit, judicium ejus non potuit ulterius declinare. Statum autem ipſius B. de quo ſæpius eſt præmiſſum, & quod non juri adverſum, ſed conſonum potius exiſtebat, cum etiam in Jure Canonico caveatur, quod res in litigio poſita non ſit in perſonam aliam transferenda, non ad poſſeſſores ſolos, ſed etiam ad illos decebat extendi, qui tempore ſaltem detentionis cujuſque poterant conveniri, quales conſtat eſſe colonos etiam temporales: perpetui namque utilem ſaltem poſſeſſionem habentes, & conveniri poſſunt, & in alium transferre, quod habent: ſicut I. fecerat antedictus, cujus factum neque præmiſſum arbitrium poterat, nec tranſactio excuſare; cum in dolum, & fraudem fuerint attentata. Judex namque, in quem fuit a Partibus compromiſſum, conſanguineus ipſius I. & infeudatus monaſterii dicitur extitiſſe; nihilque feciſſe in publicum, ſed omnia in ſecreto, quamvis inſtar judiciorum ſint arbitria introducta. Coegit quoque Partes ad tranſigendum, ſicut ex reſcripto tranſactionis apparet: & cum de tranſactione non fuerit compromiſſum, quæ non eſt neceſſitatis, ſed liberæ potius voluntatis, dolo quaſi ex perſpicuis inſidiis jam probato, tranſactionem inefficacem penitus aſſerebat. Illa quoque ratione dicebat Eccleſia petitionem monaſterii repellendam, quod cum poſſeſſionem ipſam ſine dolo, & culpa ſua obtinuerit, auctoritate Prætoris, & per hoc jus ſibi fuerit acquiſitum, monaſterium veſtrum ſuper poſſeſſorio audiri ulterius non debebat, cui parata erat in petitorio reſpondere. His ergo, & ſimilibus in noſtra, & fratrum noſtrorum præſentia prudenter a Patribus allegatis, non attendentes, quod laicis etiam religioſis ſuper Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa poteſtas, quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi, a quibus, ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum reſpiciat etiam commodum, & favorem, nullius firmitatis exiſtit, niſi ab Eccleſia fuit approbatum; unde ſtatutum Baſilii de non alienandis prædiis ruſticis, vel urbanis, miniſteriis & ornamentis Eccleſiarum, illa reprobatum fuit potiſſimum ratione, quod auctoritate Romani Pontificis non fuit roboratum; ne in exemplum tranſeat ſimilia præſumendi, quod a ſæpe dicto B. factum fuerat in præjudicium monaſterii, non conventi, nec confeſſi etiam, vel convicti, prorſus in irritum revocantes, poſſeſſionem eaſdem reſtituendas ſibi ſententialiter definimus, nec ipſas quæ in locum, & jus illarum, quas ab I. de Alteja Eccleſia S. Mariæ petierat, ſucceſſerunt, interim alienare valeat: prohibentes, ut ſi Eccleſia S. Mariæ vel de vitio litigioſi contractus, vel de proprietate forſitan voluerit experiri; ne ſi obtinuerit in judicio, in vanum laboret, monaſterio minime poſſidente; ſit quod evincere valeat, & habere. Datum Laterani 5. Kal. Decembris.

N O T Æ.

2 a *Sancti Sylveſtri.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, ſub hoc tit. *c.* 5. & in ipſo regeſto epiſtolarum Coloniæ edito, *f.* 412. ex quo ita integram hujus textus ſeriem reſtituo. Romæ eſt Eccleſia S. Sylveſtri, & S. Martini, quæ conſtructa fuit a Conſtantino Magno: licet apud hiſtoricos non liqueat, cui Sancto fuiſſet dicata, poſtea tamen eam Symmachus conſecravit, D. Martino, & tandem Sergius II. eam reparavit, & reliquias S. Sylveſtri in ea appoſuit, atque monaſterium ædificavit, quod hodie eſt Societatis S. Mariæ Carmelitarum. Hujus ergo monaſterii Abbati miſſa eſt præſens decretalis, cujus partes extant *in c.* 1. *de foro compet. in* 2. *collect. c.* 3. *&* 4. *ut lite pendente, c.* 1. *de reſt. ſpoliat. in* 3. *collect.* in quibus capitibus, quæ ex una conſtitutione manarunt, eadem eſt inſcriptio, & ut aptiſſime conjungantur, caſum referamus, qui contigit. Romæ Eccleſia S. Mariæ egit apud judicem Laurentium contra Joannem de Alteja laicum civem Romanum poſſeſſorem quorumdam prædiorum ipſius Eccleſiæ. Laurentius Joannem de Alteja a prædicta petitione abſolvit, a qua ſententia Eccleſia appellavit ad Senatorem urbis Romæ: Joannes oppoſuit, Laurentium non tamquam judicem, ſed tamquam arbitrum pronuntiaſſe; ideo ab ejus ſententia tamquam ab arbitro prolata appellari non poſſe, juxta tradita *in c. cauſſam, de re jud.* Sed replicavit Eccleſia, Joannem arbitrum fuiſſe juris, non compromiſſarium; unde ab ejus ſententia rite appellare valebat. Quare rejecta hac exceptione. Senator ipſe hanc ſecundæ inſtantiæ cognitionem delegavit Primicerio, apud quem Joannes allegavit, non recte ſecum agi rei vindicatione, eo quod prædia, ſuper quibus lis vertebatur, non poſſidebat, ſed ea detinebat monaſterium S. Sylveſtri per alienationem factam lite pendente, juxta ſtatutum urbis Romæ, quo cavebatur, ut poſſeſſio rei litigioſæ, quam reus alienaſſet, auferretur ei, in quem tranſlata fuiſſet, & addiceretur petitori; ideo Senator ipſe poſſeſſionem prædiorum, monaſterio non citato Eccleſiæ S. Mariæ addixit. Poſt hæc actum fuit apud ſucceſſorem ipſius Senatoris de nullitate illius ſententiæ, qui ſententiam pro monaſterio pronuntiavit. Sed his duabus ſententiis contrariis prolatis, quidam temere vi dejecit Eccleſiam de Poſſeſſione prædiorum, eamque tradidit monaſterio: quod cum accidiſſet, totius cauſſæ cognitionem ad ſe avocavit Cœleſtin. III. Innocent. III. prædeceſſor; ſed antequam ſententiam proferret, deceſſit. Innocentius negotium terminavit, & licet Eccleſia ſpoliata ante omnia eſſet reſtituenda, tamen quia certis ex cauſſis reſtitutio fieri non poterat, juſſit ut alia prædia ejuſdem valoris monaſterium Eccleſiæ reſtitueret. Verum monaſterium priorem ſpoliationem repetendo, allegabat virtute ſtatuti Romani ſpoliari non potuiſſe, cum ſtatuta laicorum, quoad res Eccleſiæ non attendantur, & Senator eo ſtatuto tantum motus ipſum ſpoliaverat. Quib. perpenſis Innoc. III. juſſit omnia acta a Senatore virtute illius ſtatuti, caſſari, & irritari, ac pro monaſterio ſententiam dixit, videlicet ipſum virtute dicti ſtatuti

ſpolia-

ſpoliatum eſſe reſtituendum, quia ſtatuta laicorum Eccleſiæ bona, ſeu eccleſiaſticas perſonas non comprehendunt; ut probavi *in c. quæ in Eccleſiarum 7. hoc tit.* ubi commentarium hujus textus dedi.

2 b *In via lata.*) In qua unus ex Presbyteris Cardinalibus titulum ſuum habet, ut referunt Anaſt. Germon. *de indultis Card.* §. *Tituli*, Cohelius *in notit. Cardin. c. 6.*

3 c *Senatoris.*) De Senatoris Rom. officio & dignitate temporibus Sylveſtri, & ejus ſucceſſorum pro temporum diſtinctione plura adduxerunt Petr. Greg. *In ſcholiis ad hunc text.* Coriolanus *in Breviario, an. 752.*

4 d *Monaſterii veſtri.*(Monaſterium enim debet per ſyndicum cauſſas ſuas in judicio pertractare, *cap. unico de ſyndic.* ubi dicemus,

c *Exstiterunt.*) Quia monachi, qui cauſſam ipſam in judicio non proſequuntur, in ea ut teſtes plerumque admittuntur, *c. inſuper 6. de teſtib.* ubi dicemus, & probant Barboſa *in c. tertio loco de probat.* Farinac. *de teſtib. q. 6.* Bronchor. *Enantioph. centur. 2. aſſert. 99.* 5

f *Electus.*) A ſententia enim arbitrorum appellari non poteſt, ut probavi *in c. 2. de arbitris.* 6

g *Primicerio.*) ideſt primo judicum, ut alias Primicerius accipitur *in c. unic. de off. Primic.* ubi notabimus. 7

h *Statutum Baſilii.*) Cujus mentio fit *in c. bene quidem 1. 96. diſt.* cujus hiſtoriam referunt Carolus Sigon. *lib. 25. de Imper. Occid. an. 478.* Nauclerus *generat. 17.* Baronius *tom. 6. anno 483.* & explicat Jacobus Valdas *de dignitate Regum Hiſp. cap. 1. num. 19.* 8

C A P U T XI.

Idem *univerſis Doctoribus* a *Pariſiis commorantibus.*

EX litteris veſtræ *b* devotionis accepimus, quod cum quidam, moderni videlicet Doctores liberalium *c* Artium, a majorum ſuorum veſtigiis in tribus præſertim articulis deviarent, habitu videlicet inhoneſto, in lectionum & diſputationum ordine non ſervato, & pio uſu in celebrandis exequiis decedentium Clericorum jam quaſi penitus negligenter omiſſo; vos cupientes veſtræ conſulere honeſtati, octo ex vobis juratos ad hoc unanimiter elegiſtis, ut ſuper dictis articulis de prudentium virorum conſilio bona fide *d* ſtatuerent, quod foret expediens & honeſtum, ad illud in poſterum obſervandum, vos juramento *e* interpoſito communiter conſtringendo, excepto dumtaxat Magiſtro G. qui jurare renuens & formidans, fide juſſoriam pro ſe tantum obtulit *f* cautionem. Fuit etiam inſuper ad cautelam a vobis fide interpoſita protinus conſtitutum, ut ſi quiſquam Magiſtrorum adverſus alios duceret reſiſtendum, & primo, & ſecundo, tertiove commonitus infra triduum univerſitati parere contemneret Magiſtrorum, ex tunc beneficio Societatis eorum in Magiſtralibus *g* privaretur: & quidem hoc ultimum quidam ex vobis ſimpliciter, quidam vero niſi ſatisfaceret, & nonnulli, niſi per vos ſe admitti ab aliis obtineret, ſe intellexiſſe fatentur. Cum autem ſupradictus Magiſter G. infra triduum Univerſitati non paruerit, requiſitus juxta conditionem, ex tunc a vobis habitus eſt excluſus. Qui cum ſatisfactioni condignæ poſtmodum ſe *h* obtuliſſet, in quatuor Magiſtros juramento interpoſito compromiſit, illorum dictum pro bono pacis ſe gratum, & ratum pariter habiturum. Illi vero uſi conſilio ſapientum, dictum ſuum communiter promulgaverunt, memorato Magiſtro in virtute juramenti præſtiti prohibentes, ne deinceps in licitis Univerſitati reſiſteret Magiſtrorum; & injungentes eidem, ut tamdiu in eodem ſtatu perſiſteret, quo tunc erat, donec per ſe, vel per procuratorem ſe poſſe ab aliis Magiſtris admitti per Sed. Apoſt. obtineret, ſalva in omnibus honeſtate. Unde nobis humiliter ſupplicaſtis, ut eumdem Magiſtrum, virum utique providum, & honeſtum, & diſcretum, qui tamquam obedientiæ filius, quod ſibi prædicti quatuor injunxerunt, ſuſcepit humiliter, & patienter obſervat, ex benignitate Sedis Apoſt. faceremus communioni reſtitui Magiſtrorum. Nos igitur ex præmiſſis intelligentes eidem Magiſtro fuiſſe mandatum, ut tamdiu perſiſteret in eo ſtatu, quo tunc erat, donec Magiſtrorum communioni de mandato Sedis Apoſt. redderetur, & paratus ſit ſuper præmiſſis ſatisfactionem congruam exhibere; licet a vobis fide præſtita fuerit conſtitutum, ut ſi quis Magiſtrorum ordinationi Univerſitatis ipſorum duceret reſiſtendum, & primo, ſecundo, tertiove commonitus, intra triduum Univerſitati parere contemneret Magiſtrorum, ex tunc beneficio Societatis eorum in Magiſtralibus privaretur, & ob hoc Magiſter G. fuit eorum communione privatus. Quia tamen conſtitutum non fuit, ut in perpetuum hujuſmodi privatio perduraret, cum tam Juris Canonici, quam noſtri moris exiſtat, ut is qui propter contumaciam communione privatur, cum ſatisfactionem congruam exhibuerit, reſtitutionem obtineat: mandamus, quatenus ſupradictum Magiſtrum ſtatutis veſtris nunc humiliter parere curantem, ad communionis veſtræ conſortium in Magiſtralibus admittatis.

N O T Æ.

1 De Pariſienſi urbe, & ejus academia.

a PAriſiis. Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub tit. de jurejur. c. 12.* Pariſienſis urbs, quam Lutetiam Pariſiorum appellant Cæſar *lib. 7.* Strabo *l. 4.* eſt totius Galliæ primaria, & Regni caput. Nobilem Galliarum Civitatem dixit D. Bernardus: totius regni Metropolin appellavit Suggerius, quos referunt plura de ejus origine & magnitudine adducentes Fratr. Sammartani *t. 1. Galliæ Chriſt. fol. 395.* in qua florentiſſimam Academiam, præcipuam totius Galliæ, conſilio, & auctoritate Alcuini, & Venerabilis Bedæ erexit Carolus Magnus ann. 791. ut refert Yepes *t. 3. chron. D. Benedicti, fol. 310.* etſi aliunde ejus originem repetat Marquez *in orig. Erem. c. 15 §. 5.* Eam inſtauravit Ludovicus etiam Rex Galliæ; florentiſſimi illius ſtudii mentio extat *in c. in cauſſis, de proc. c. ſuper ſpecula, c. quanto de Magiſt. Clem. 1. eod. tit.* Eam debitis extollunt laudibus Polydorus Virgilius *l. 4. hiſt. Angliæ*, Jacobus Meyerus *l. 14. annalium Flandriæ*, Midendorpius *tom. 2. de Academiis*, Thuanus *to. 3. hiſt.* & alii quos refert P. Andreas Mendo *de jure academico, q. 3.* In ea Academia florent omnium ſcientiarum Profeſſores, etiam juris Cæſarei, licet olim temporibus Honorii III. hujus juris ſtudium in ea non permitteretur, *cap. ſuper ſpecula, de Magiſtris*, ex ratione ibi aſſignanda. Vigent etiam in ea liberalium Artium ſtudia, quarum ſcientiarum Profeſſoribus Innocent. III. præſentem ſcripſit epiſtolam.

2 b *Devotionis.*) Ita alloquitur Pontifex Capitula Eccleſiarum, aut Univerſitatem, cum illis reſcribit, & eorum Profeſſores dilectos filios appellat, ut notarunt Germonius *de indultis Cardin.* §. *Dilectis*, P. Franc. Valens *in concordia juris, in proœm. decret.* dicemus infra *in cap. quam ſit grave, de crim. falſi.*

3 c *Artium.*) Licet juris ſcientia aliquando liberalis ars, ſeu ſtudium liberale dicatur, *l. 1. C. qui ætate, l. 10. l. Medicos, C. de Profeſſ. eod. lib. l. un. C. de ſtudiis, l. 11. l. un. C. de Profeſſoribus, qui in urbe C. P. eod. lib.* tamen liberales artes ſtricte & proprie ſumptæ, ſunt Grammatica, Rhetorica, Logica, Geometria, Muſica, Aſtrologia, & Arithmetica, ut probant de eis agentes Chaſſaneus *in Catalogo, par. 10. conſid. 9.* Jo. Boſſius *in ſpeciali tractatu de illis artibus.*

4 d *Statuerunt.*) Academiæ enim ſtatuta proprio regimini ac ſuæ gubernationi congrua, & utilia facere poſſunt, ut conſtat *ex l. fin. C. de juriſd. l. fin. C. de Colleg. illicit. l. 1. ff. quod cujuſque univerſ.* Docent Hunnius *in encyclp. tit. de ſtatutis*, collega noſter D. I. de Eſcobar. *de Pontif. juriſd. c. 23.* Loſeus *de jure univer. p. 3. c. 5. n. 3.* & de ſtatutis ipſis Academiæ Pariſienſis late agit eruditus Joannes Fileſacus *l. 1. ſelect. tr. de orig. ſtat. Theolog. Pariſ.*

e *Juramento.*) Quo voluerunt Doctores firmare obligationem ſtatutorum, & ſtrictius ad eorum obſervationem obſtringi; non quia illa non obſervantes majorem ſuſtinerent pœnam, quam ſi tantum ſtatutum infringerent. Cum enim quis jurat ſervare ſtatuta, obligatur eo genere obligationis, quo ipſa ſtatuta obligant, ut docet Salas *de legib. diſp. 15. ſect. 1. n. 26.* P. Mendo *de jure academ.* ubi ſupra, *q. 13.* Sed illud difficile videtur, quod his ſtatutis obligentur illi, qui ea non condiderunt, ſed tantum in Academia ſucceſſerunt, diverſi omnino ab illis, qui ſtatuta fecerunt, quamvis disjunctum corpus ſemper idem cenſeatur, *l. proponebatur 16. ff. de judiciis, l. 5. tit. 15. p. 2.* Franciſc. Zypæus *l. 2. contra Caſanum; c. 12.* Joan. Seldenus *in mari clauſo, l. 1. c. 21.* pluribus relatis noſter Valentia *l. 2. illuſtr. tr. 4. c. 2.* Hæc enim fictio eſt, & revera non ſunt eædem perſonæ ſtatuentium, & per conſequens non poterant obligari ex aliena promiſſione, *l. inter 83. cum vulgatis, ff. de verb. oblig.* quod & in voto a Decurionibus civitatis facto haſitari poteſt. Pro cujus difficultati ſolutione dicendum eſt cum D. Th. 22. *q. 98. art. 2.* novos cives, Decuriones, ſeu Doctores, qui in locum veterum ſuccedunt, non obligari ex eorum voto, quia voti obligatio perſonalis eſt, ut etiam probant Barth. Brixienſis in quadam quæſtione, quæ incipit, *Bonon. ſurvenerunt*, Avendan. *l. 2. de exequendis mandat. c. 27. nu. 12.* Guttierez *in autentica Sacramenta n. 12.* Doctor Piſa *l. 4. ſue Curiæ, c. 5.* & ibi Azevedo, & *in l. 1. n. 24. tit. 17. l. 8. recop.* Marquez *l. 2. Gubern. Chriſt. c. 22.* Azorius *l. 11. inſt. c. 8. verſ. 5.* ideoque in Concil. Trid. *ſeſſ. 25. de ref. c. 2.* decernitur, ut ſingulis annis DD. Magiſtrique Academiarum ſolemniter jurent, ſe interpretaturos, & docturos, ea, quæ ſunt Catholicæ Fidei, propter denuo in eodem gradu cooptatos; quamvis alium hujus textus rationem adduxerint relati a Barb. ibi, *litt. B.* Quod de voto dixi, idem dicendum eſt de contractu; quoniam ſi omnes Decuriones, ſeu DD. aliquid promiſerint, veluti ſi aliquem annuum reditum ſuper ſuis perſonis, & 5

bonis

bonis impoſuerint, ſucceſſores in officio minime obligantur, quia ex pactione alterius alter obligari non poteſt, *l. multum 6. C. ſi quis alteri*, niſi quatenus ex prædeceſſorum contractu ad eos pervenit, argumento *ex l. civitas 27. de rebus creditis*; notavit Bobadil. *l. 3. polit. c. 8. n. 87.* unde quod anteceſſores promiſerunt, niſi in prædicto caſu, ſucceſſores ex obligatione juſtitiæ minime præſtare tenentur, ſed ex quadam urbanitate, ut inquit D. Th. ubi ſup. ſive ſe obligaverint ad dandum, ſive ad faciendum, veluti ad cuſtodiendos aliquos dies feſtos, vel jejunandum; quia revera hoc eſt alienum factum, & extranearum perſonarum, quas aliæ minime obligare potuerunt: in his tamen duobus exemplis aliquando juſtitiæ obligatio naſcitur, ſcil. ſi legitimo tempore præſcriptum ſit, ut dies illi feſti cuſtodiantur, vel jejunia fiant, quia eſt quaſi lex conſuetudo, quæ omnem populum obligat, etiam cives de novo natos. Marquez & Azor ubi ſupra: cum his non ſunt temere confundenda ſtatuta facta ad regimen ipſius communitatis, vel negotia quæ Decuriones contrahunt nomine ipſius Curiæ, ſeu Academiæ; hæc enim ſemel facta, aut contracta perpetuo durant, quia Decuriones, ſeu Doctores ſunt legitimi adminiſtratores, & gubernatores ipſius communitatis, ut docent Bobadil. *l. 5. polit. c. 4. & 5.* Doctor Piſa ubi ſupra *l. 2. c. 8.* Amaya *in rubric. C. de decurionibus, n. 23. & in l. unic. de prebendo ſalario, ex n. 17.* & cum ſtatuta, de quibus in præſenti, facta fuiſſent pro bono regimine Academiæ Pariſienſis; ideo etiam ſucceſſores eorum, qui ſtatutum fecerunt, illud ſervare tenentur.

6 f *Cautionem.*) Idonea cautio eſt, quæ fidejuribus præſtitis fit, *l. 1. §. jubet 4. ff. de colint. bonor. l. ſi mandatum 59 ff. mandati, l. pretoria 7. ff. de pretor. ſtipul l. 3. C. de v. ſ.* Et licet, qui tenetur cautionem fidejuſſoriam dare, non adimpleat obligationem cautionem juratoriam præſtando, *authent. cui relictum, C. de indicta viduitate*; tamen, qui tenetur juratoriam cautionem præſtare, ſufficit, ut fidejuſſoriam præſtet, ut in præſenti textu ſupponitur, & docet Parladorus *diff. 61. n. 4.*

7 g *Privaretur.*) Hæc pœna poſtea appellatur privatio communionis, non quia excommunicatio ſit, privans a perceptione Sacramentorum; ſed quia privat a communione aliorum Profeſſorum in actibus, & functionibus propriis Academiæ. Plerumque enim legimus aliquem communione Chriſtiana gaudere, denegari tamen illi communionem ſociorum, ſeu collegarum, ut in Conc. Arelat. 2. *can. 30.* Aurel. 5. *can. 17.* & aliis, ubi Epiſcopi privantur tantum communione Coepiſcoporum: cujus privationis communionis effectus referunt Gibal. *de cenſ. diſp. 7. q. 12.* Morinus *l. 2. exerc. c. 5.* Unde cognoſcitur in præſenti caſu, excommunicationem tamquam cenſuram appoſitam non fuiſſe violanti ſtatuta, ſed quia privabatur communione ceterorum Doctorum; ideo talis pœna late excommunicatio dici poterat.

8 h *Obtuliſſet.*) Purgat enim contumax contumaciam per ſatisfactionem, quam præſtare poteſt per cautionem de obediendo mandatis Eccleſiæ, *ut in c. ex par. 33. verſ. in 1. de v. ſ. c. qua fronte 25. verſ. Sane, de appel. c. cum deſideres, c. per tuas, de ſent. excomm.* Cautionem illam dare valet, aut fidejuſſoriam, pignoratitiam, ſeu juratoriam.

COMMENTARIUM.

9 Concluſio refertur, & probatur.

EX hoc textu ſequens communiter deducitur diſputanda aſſertio: *Contumax communione privatus; aut ordine motus, ſi paruerit mandatis, abſolvendus, & reſtituendus eſt ordini.* Probant eam textus *in c. ſi quis, 81. diſt. c. presbyter v. q. 4. c. nos autem 15. q. 7. c. ſi quis deinceps 16. q. 7. c. ex litteris 29.* ubi Gloſa *verbo Satisfacta, de offic. delegati, c. ſignificavit, de offic. Ordinarii, c. cum in Eccleſiis 10. de majorit. & obed. c. non eſt vobis, de ſponſal. c. fin. de matrim. contracto, c. cum deſideres, c. a nobis, c. per tuas, de ſent. excomm. cap. cum olim, c. ex parte, de v. ſ. Clem. 1. de decim. c. quamquam, in fin. de cenſib. in 6. Clem. 2. poſt princip. de decimis, Clem. 2. de hæret.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barb. in præſenti, Robertus *lib. 1. rerum judicatarum, cap. 10.* Petrus Greg. M. Uranius, Proſperus Fagnanus, *in præſenti*, Balboa *in cap. 1. de judiciis, num. 66.* Tiraq. *in tract. ceſſante cauſa, 1. p. n. 60.* Marius Alterius *l. 4. de cenſur. diſp. 1.* Gibalinus *eod. tr. diſp. 9. q. 2. fol. 407. & q. 3 conſect. 15.* Sayrus *l. 4. theſauri. c. 17. n. 4.* Guttier. *l. 1. canonic. q. 5. n. 7.* Covar. *in c. alma, 2. p. c. 6. n. 16.* G. de Valentia *tom. 4. controv. diſp. 7. q. 18.* Suarez *de cenſuris diſp. 7. ſect. 1. n. 12.* Carena *de off. Inquiſ. 1. part. tit. 5. §. 12. n. 86.* Alteſerra in præſenti.

10 Traditur dubitandi ratio.

Sed hæc aſſertio difficilis redditur ſequenti juris conſideratione; nam privatio communionis aut fertur per modum pœnæ, aut per modum cenſuræ: profertur per modum pœnæ, quando imponitur ad vindictam delicti perpetrati, *c. ſi quis Epiſcopus 11. q. 3.* per modum cenſuræ infligitur, quando tantum ob contumaciam imponitur. Covar. *d. 2. p. c. 6. in initio, n. 15.* Cum profertur per modum pœnæ, durat perpetuo, niſi ex indulgentia ita ligatus abſolvatur: quando vero per modum cenſuræ, contumacia ceſſante, poſt ſatisfactionem reus abſolvitur. Ita omnes DD. de cenſuris agentes; ſed in præſenti caſu privatio communionis fuit impoſita per modum pœnæ ob delictum admiſſum in violatione ſtatuti academici: igitur etiam poſt ſatisfactionem durare debebat talis privatio. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam etiam contumacia ceſſante in caſu, quo tantum propter contumaciam inflicta fuit excommunicatio, non ſtatim contumacia ceſſante, reus communioni Eccleſiæ reſtituitur, ſed poſt ſatisfactionem abſolutio deſideratur, *c. ſi quis Epiſcopus 22. 1. q. 6. c. ad aures 24. de ſimon. c. fin. de ſepult. c. quamquam, in fin. de cenſib. in 6.* Covar. *in c. alma, 1. p. §. 11. n. 14.* Genuen. *pract. q. 709.* Salgado *de Regia prot. 2. p. c. 4. n. 202.* Ergo in præſenti caſu etiam poſt ſatisfactionem reſtituendus non erat Magiſter communioni ceterorum ante abſolutionem. Tandem fulcitur hæc dubitandi ratio ex eo; nam hæc privatio communionis lege ipſius Academiæ ſtatuta, & approbata fuerat: ſed ſimilia ſtatuta, & quæ in eis conduntur, perpetua ſunt, *c. 1. 50. diſt. c. reperiuntur, 79. d. c. ſi quis ex Epiſcopis 10. q. 3.* Igitur in præſenti ſpecie DD. ſtatutum propriæ Academiæ violantes, in perpetuum privati manebant communione ceterorum.

Qua dubitandi ratione ita fulcita non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, pro cujus deciſiva ratione percipienda ſciendum eſt, privatum communione Eccleſiæ, ſeu Fidelium ob contumaciam, abſolvendum eſſe ceſſante contumacia, & communioni reſtituendum, *c. per tuas, de ſent. excom. c. cum olim, c. ex parte, de verb. ſign.* cum ceſſante cauſſa privationis, ceſſare debeat ipſa privatio, *c. cum ceſſante, de appel.* cum pœna debeat commenſurari delicto, *c. diſciplinæ, 54. d.* inde contumacia natura ſua non patitur, ut cenſura ob eam inflicta protrahatur, ultra quam ipſi extenditur, *c. ſi quis, c. ſi Epiſcopus, 18. d.* Ut autem contumax a cenſura liberetur, duo deſiderantur. Primum, ut cum reſipiſcit, ſatisfaciat, *cap. quamquam, de cenſib. l. 6. Clem. 1. de decim.* ibi: *Ante ſatisfactionem condignam nullatenus abſolvantur.* Clem. 2. *de heret.* ibi: *A qua non poſſint abſolvi, donec plene ſatisfecerint.* Et hæc ſatisfactio datur ſaltem præſtito juramento de parendo mandatis Eccleſiæ, *c. ex tenore, c. de cetero, c. cum deſideres, de ſent. excom.* Secundum, ut abſolvatur; nam poſt ſatisfactionem habilis redditur excommunicatus ad abſolutionem, non tamen abſolutus manet, *d. c. cum deſideres 15. c. a nobis 28. c. quamvis 58. de ſent. excom* Celebri exemplo firmat Illeſcas 2. *p. hiſt. Pontif. l. 6. c. 14. fol. 126.* quod procedit ſive excommunicatio ſimpliciter feratur, ſive hac adjecta clauſula, *Donec ſatisfeceris*; nam per hanc adjectionem nihil amplius exprimitur, quam quod a jure tacite ineſt, & ſic utroque caſu debet pariter abſolvi. Contrarium tamen procedit, ſi ſuſpenſio impoſita ſit ſub hac formula, *donec ſatisfeceris*: nam tunc per ſolam ſatisfactionem ceſſat, & relaxatur ſuſpenſio, *c. presbyter 13. 2. q. 5. c. ſi quis 16. 18. d.* quod etiam procedit in interdicti cenſura, *c. non eſt vobis, de ſponſ.* Diſcriminis ratio in eo conſiſtit, quia nullo Eccleſiæ Canone cautum legitur, ut interdictum, ſeu ſuſpenſio egeant expreſſa abſolutione. Unde ſufficiet tacita, quæ provenit ex ſatisfactione, juxta mentem judicis imponentis interdictum, ſeu ſuſpenſionem ſub hac forma, *donec ſatisfeceris*: in excommunicationem vero expreſſe cautum reperitur, ut poſt ſatisfactionem abſolutio ſequatur, *d. c. cum deſideres, d. c. a nobis.* Et ſi adhuc rationem hujus diſcriminis ſciſciteris, ea petenda eſt ex gravitate excommunicationis, ut docet Panormit. *in c. 1. de judiciis, n. 6.* Marius Alterius *l. 1. de cenſuris, c. 1. n. 1.* Etiam ſciendum eſt, ſtatuta a qualibet communitate condita, recipere interpretationem a jure communi, ut cum eo in quantum fieri poſſit, conveniant, *c. cum dilectis, §. quia, de conſuet.* Tondutus *reſol. canon. c. 51. n. 20.* Alderanus Maſchard. *de inter. ſtatut. concl. 2. n. 70. & concl. 12. per tot.* ubi in praxi varias hujus doctrinæ ampliationes, & limitationes adducit. Unde deducitur vera ratio præſentis deciſionis; nam cum ſtatuta accipere debeant interpretationem a jure communi & jure communi inſpecto excommunicatus ob contumaciam, poſt ſatisfactionem ſit communioni reſtituendus, ex dictis juribus; inde Innocent. III. in præſenti ſpecie decidit, DD. Academiæ Pariſienſis communione aliorum non cenſeri privatos in perpetuum, ſed donec ſatisfecerint. Accedit, nam pœnæ molliendæ potius ſunt, quam exaſperandæ; *l. penult. ff. de pœnis, l. factum 155. §. ultim. ff. de reg. jur.* ubi plura Petrus Faber, & Gothofredus: & in pœnis ea interpretatio facienda eſt, ut potius reſtringantur, quam amplientur, *c. in pœnis, de regul. jur. l. 6.* Unde recte pœna privationis communionis in præſenti ſpecie ita accipitur, ut potius temporalis ſit, quam perpetua. 11 Traditur decidendi ratio.

Nec obſtat dubitandi ratio ſupra *n. 3* expenſa, in qua dicebamus, privationem communionis appoſitam per modum pœnæ perpetuo durare; nam dicendum eſt potius, quamcumque pœnam cenſeri appoſitam ad menſuram delicti; unde ſi illud conſiſtat in contumacia, quæ tantum temporalis eſt, erit etiam & pœna temporalis; unde cum in præſenti ſpecie contumacia non tranſiret in aliud genus delicti, ſed tantum contumacia maneret; inde & pœna temporalis eſt, juxta naturam ipſius delicti. Nec argumentum primum ipſius difficultatis obſtat; nam licet controverſum ſit apud Interpretes, an communione Eccleſiaſtica privatus, donec ſatisfecerit, imo jure ſatisfactione præmiſſa ſit abſolutus; verior ſententia eſt, neceſſariam eſſe poſt ſatisfactionem adhuc abſolutionem: nec contrarium probatur in hoc textu, nam in eo non aſſeritur, abſque ulla abſolutione privatum communione ſociorum illi reſtitui; nam ſubintelligendum eſt ut non ſola ipſa ſatisfactione privatus communione illi reſtituatur, ſed præcedente abſolutione, juxta formam juris tot Canonibus præſcriptam, quo etiam modo intelligendi ſunt textus *in c. nos 4. 15. q. 6. c. fin. de matrim. contracto contra interdictum*, juncto Balboa *in d. c. 1. de judiciis, n. 66.* Nec obſtat argumentum ultimum ipſius difficultatis; nam procedit cum ſtatuta aliquid continent ex natura ſua perpetuum, non vero ſi temporale. Unde cum in præſenti textu pœna temporalis eſt propter cauſſam temporalem, videlicet contumaciam, ceſſat & pęna, ceſſante contumacia. 12 Diſſolvitur dubitandi ratio.

Sed ſupra traditæ aſſertioni obſtat textus *in c. 1. 50. d.* in 13 Exponitur c. 1. 50 d.

illis